



S. 6. 264

Reise: Jhr.

J. VI, 887.

~~III~~ ~~IV~~ J. IV. 10



L

13

DISSERTATIO THEOLOGICA  
DE  
**FRATERNITATE  
CHRISTIANA,**

---

QVAM  
PRAESIDE

*VIRO SUMME VENERABILI, EXCELLENTISSIMO,  
DOCTISSIMO,*

**SIGISM. IACOBO BAVMGARTEN,**  
S. S. THEOL. DOCTORE, EIVSDEMQUE PROFESS. PVBL. ORD.

*SEMINARII THEOL. DIRECTORE, MENSARVM REGIARVM EPHORO, ET ACAD.  
SCIENT. REG. BEROLINENS. MEMBRO,*

**PATRONO AC PRAECEPTORE SVO  
AD CINERES VSQVE OMNI PIETATE  
COLENDO,**

D. *SEPTEMBR. A. O. R. MDCCL.*

PVBICO PLACIDOQVE ERVDITORVM EXAMINI SVMMITET

A V C T O R

**GOTTHILF TRAVGOTT ZACHARIAE,**

*DARGVNO • MEGALOPOLITANVS,*

---

*HALAE MAGDEBVRGICAE,*

TYPIS IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, ACAD. TYPOGR.

27









A  
SON ALTESSE SERENISSIME,  
MADAME,  
**AUGUSTE,**

DUCHESSÉ DE MECKLENBOURG,  
PRINCESSE DES VANDALES, DE SWERIN ET  
DE RATZEBOURG, COMTESSE DE SWERIN, ET DAME  
DES TERRES DE ROSTOCK ET STARGARD

etc. etc.



MADAME,

A  
SON ALTESSE SERENISSIME  
MADAME  
AUGUSTE



Qu'il me soit permis, de présenter à  
VOTRE ALTESSE SERENIS-  
SIME, les prémices de mes études  
Académiques. Mon coeur, à la vé-  
rité, mereproche une démarche si hardie, & qui  
tient presque de la témérité, d'offrir un ou-  
vrage si mince à une personne élevée au  
dessus de tant d'autres, par la grandeur de SA  
naif-



naissance, par la sublimité de l'esprit, & par les  
qualités éclatantes, qui brillent en ELLE. La  
Pieté, qui en est la première, mérite l'admiration  
de tout le monde, & relève d'autant plus l'éclat  
de toutes SES vertus, qu'elle est rare en des per-  
sonnes d'un rang si élevé. C'est à cette source,  
MADAME, qu'il faut rapporter l'estime, que  
VOUS faites des Sciences, qui contribuent en  
quelque façon à répandre des lumières sur les vé-  
rités divines, & la disposition, que VOUS avez, à  
favoriser ceux qui en font profession. J'en suis  
un témoin incontestable: VOUS m'avez com-  
blé d'une infinité de bienfaits, depuis que j'ai eu  
l'avantage, d'être connu de VOTRE ALTES-  
SE SERENISSIME, & de jouir du bonheur de  
SA protection. Agréez, MADAME, que je pu-  
blie, avec un coeur pénétré du plus profond re-  
spect, les grandes marques de bienveillance, dont  
VOTRE ALTESSE SERENISSIME m'a  
honoré depuis le moment, que j'ai commencé à  
m'appliquer aux Belles-Lettres: bienveillance,  
qu'ELLE a trouvé bon de me continuer jus-  
ques



ques ici avec tant de bonté, en me procurant les  
moyens nécessaires, pour faire mon cours Aca-  
démique, & tout cela de son propre mouve-  
ment. Car VOTRE ALTESSE SERENIS-  
SIME est à tous ceux, qui ont le bonheur de  
dépendre d'une Princeſſe ſi incomparable ce  
qu'une rivière féconde eſt à une terre: elle  
arroſe, elle nourrit & fait fleurir tout ce qui  
l'environne, répandant par-tout l'abondance,  
ſans en être ſollicité, & ſans en attendre au-  
cune récompense. Je ſuis ſûr, que les coeurs  
de tous VOS ſujets tombent d'accord de ce que  
j'avance, & que chacun d'eux ne ſouhaite que  
l'occafion, de témoigner ſon entier dévouement  
à VOTRE ALTESSE SERENISSIME. Ne  
feroit ce donc pas une faute impardonnable,  
ſi le ſentiment de ma foibleſſe l'emportoit ſur la  
paſſion, que je ſens de m'acquiter de mon devoir?  
C'eſt, MADAME, ce qui me fait eſpérer, que  
VOTRE ALTESSE SERENISSIME voudra  
bien regarder d'un oeil favorable cette pièce, que  
je mets à SES pieds, comme une foible marque  
de



de mon profond respect & de ma très-humble  
reconnoissance. Si la manière, dont je l'ai com-  
posé, est trop imparfaite, pour mériter VOTRE  
attention, le sujet pourra peut - être la mériter.  
Car je crois, que VOUS tombez d'accord, MA-  
DAME, qu'il n'y a rien de plus convenable  
pour l'avancement du salut que la pratique de la  
fraternité Chrétienne; qu'il n'y a rien de plus  
fort, pour confondre ceux qui se prévalent de  
ce nom, pour couvrir leurs desseins malicieux,  
que de faire voir la véritable idée, qu'on en doit  
avoir; qu'il n'y a rien de plus propre pour ré-  
veiller l'ardeur dans la Pieté, & pour embraser les  
coeurs des Chrétiens que le louable exemple de  
l'Eglise Apostolique. Une joie intime saisit le  
coeur, lorsqu'on remarque la parfaite harmo-  
nie, l'amitié sans fard, & l'amour fraternel, qui  
unissoit alors tous les croyans. Que ne puis-je  
produire quelque chose en cette vue à la satisfac-  
tion de VOTRE ALTESSE SERENISSIME!  
Je prie Dieu avec d'autant plus d'ardeur, pour la  
conservation de VOTRE Auguste Personne, que  
j'y



j'y suis doublement obligé par les bontés, que VOUS avez eues jusqu'ici pour moi & pour mes parens. Plaife à Dieu, de verser sur VOUS à pleines mains ses bénédictions les plus précieuses, & de VOUS accorder toutes les satisfactions possibles, tant pour le temporel que pour le spirituel! Je le supplie de VOUS faire porter des fruits de Justice jusques dans l'âge le plus avancé, & que je puisse jouir long-tems du bonheur, de VOUS témoigner le zèle respectueux, avec lequel j'ai l'honneur, d'être,

MADAME,

DE

VOTRE ALTESSE SERENISSIME

à Halle, le 5 me de Sept.  
1770.

le très-humble, très-obéissant & très-obligé  
serviteur

GOTTHILF TRAU GOTT ZACHARIAE.





DE  
FRATERNITATE CHRISTIANA.

§. I.

*Introductionem sistens.*



**I**nter maximas, quas in Deo deprehendimus, perfectiones nulla maiori luce fulget, quam amor ipsius. Quocumque oculos animunque conuerteris, ibi specimina amoris diuini nobis exhibita obseruabis. Omnia opera summi huius Numinis tam luculenta perfectionis huius faciunt testimonia, vt, qui vel leuiter animo rem perlustrauerit, illam agnoscere venerarique cogatur. Quicumque igitur hominum ad veram perfectionem adspirat, perfectius, quod imitetur, exemplum sibi ob oculos proponere non poterit, quam ipsum exemplum Dei, complexum omnium perfectionum. Quod quidem ipsum imitandi studium Numen omni veneratione dignum nobis saepe saepius in sacris litteris iniunxit praecepitque. Idcirco non solum Dei, verum etiam omnium hominum, ac inter

A

eos



eos praecipue cum Deo arctissimo vinculo coniunctorum amore ipsum imitemur, eiusque exemplum nobis praecuntis vestigia premamus necesse est. Multiplici modo Deus nos ad hunc amorem alii praestandum incitare in sacris litteris fatagit. Non adhortationes saepius repetitae, nec exempla aliorum, neque promissiones magnificentissimae ipsi sufficiunt ad nos alliciendos, verum etiam in ipsis nominibus, quae Christo fidelibus imponit, motiua fortissima latent amorem suadentia. Quam ob causam homines cum ipso coniunctos fratres esse affirmaret? Quis est, qui non videat, hoc nomen monere omnes de officiis praestandis? Quamvis enim nunquam sacra oracula necessario adhibere iubeant fratrum nomen, ex eo tamen, quod ipsis tam solemne sit, recte colligitur, Deum velle fraternitatem ipsam coli, et inter eos, quos fide in Christum sibi in filios adsciuit, perpetuo observari. Quam ob rem operae pretium facturi videmur, si nobis enucleatius proponendum sumamus, quae et qualis sit illa coniunctio, qua omnes Christiani homines inter se copulantur, quod scitu iis necessarium omnino est, ut eo melius partibus suis satisfacere queant. Nihil enim facilius est, quam ut multi nescientes, qua via incedendum, ex vtraque parte a recta deflectant, atque eo delabantur, ut aut nullis fraternitatis legibus se adstrictos existiment, aut nescio quam sibi fingant fraternitatem, cum tam in paginis sacris quam in scriptis primorum civitatis Christianae doctorum tam multiplici varioque significato fratrum denominationem adhibitam legant. Meretur igitur ipsum nomen etiam vberiore quamdam explicationem, quare nos illam hinc pagellae lectori beneuolo tradere, animo constitutum habemus.



De Fraternitate Christiana.

§. II.

*Ordo tractationis.*

Vt vero quilibet facile perspicere possit, quaenam nobis hac in re pertractanda veniant, quamque viam et quara-  
tione illam sequamur, quaedam de ordine tractationis statim  
in limine nobis monenda esse videntur. Praeuie usum huius  
nominis fratrum atque sororum in sacris litteris, et qui in ve-  
tere ecclesia Christiana temporibusque subsequenter obti-  
nuit, indicare nostrum erit. Tum vero ipsum causae totius  
caput aggredientes indolem fraternitatis Christianae, officia  
atque privilegia ex eadem oriunda ac deriuanda curatius in-  
quiremus, adiuncta denique tractatione de eo, quatenus et  
qua ratione hoc nomen nostris adhuc temporibus vsu venire  
possit. Postea vero multiplex abusus, cui vsus huius nomi-  
nis subiectus est, erit explanandus, quae quidem omnia so-  
lidis, quantum per virium tenuitatem fieri poterit, efficiemus  
argumentis.

§. III.

*Significatus nominis proprius strictior.*

Multiplici certe sensu hoc nomen fratrum atque sororum  
in oraclis diuinis adhibitum inuenitur. Obtinet enim  
significatus tam proprios quam improprios. Ad proprios  
illos referimus, qui nexum respiciunt naturalem, quorum va-  
ria etiam sunt genera. In ordinaria significatione, qua ho-  
mines ab iisdem parentibus naturalibus prognati hoc nomi-  
ne insigniuntur, non est quod longius morer. Prima enim  
est omniumque notissima, vnde omnes reliquae sunt deri-  
uandae. Occurrit vero haec denominatio in sacra scriptura,  
si ad proprias respicimus significationes, vel strictius vel la-  
tius vel latissime sumta.

A 2

rem,



rem, qui omnium proxime ad ordinarium accedit, hoc nomine omnes cognati atque vinculis propinquitatis coniuncti indicantur. Huius rei exemplum habes Lothum Abrahami fratrem dictum, licet fratris esset filius Gen. XIII. 8. 11. et Iacobum fratrem se vocantem Labanis, licet ex eiusdem sorore prognatum Gen. XXIX. 12. 15. Nulla alia huius denominationis ratio est, quam quod ab vno eodemque parente originem suam habuerint, licet Abrahamus a parente suo Thara immediate, Lothus vero, mediante tantummodo Harane, Abrahami fratre naturali, et Lotho idem ius fuerit in hereditate paterna ac Abrahamo. Eadem quoque erat ratio Iacobi et Labanis, cum Laban esset filius Bethuelis immediatus, Iacobus vero ex Rebecca.

### §. III.

#### *Significatus proprius latior.*

Secunda huius nominis significatio latius patet quam prima. Indicantur enim eo omnes in eadem terra, ex eodem populo nati ac ab iisdem maioribus descendentes. Non est, quod hoc multis exemplis illustrem. Lex enim Mosai- ca quam creberrime de officiis loquitur fratribus praestandis, quae neque ad solos fratres naturales, neque ad cognatos restringi possunt, nec omnes in vniuersum homines respiciunt, sed tantummodo Israëlitis prae aliis populis lata sunt ac praescripta. Cum igitur non nimium has leges restringere, nec ultra modum extendere liceat, nihil nobis superest, quam solos coterraneos atque eiusdem populi homines easdem respicere. Tales fuerunt leges de anno Iubilaeo Leuit. XXV. 14. 25. de vsuris Deut. XXIII. 19. 20. de manumissione seruorum Leuit. XXV. 39. 46. ceteraeque id generis. Referri quoque huc possunt Exod. II. 11. III. 18. etc. vt et illa loca noui testa-



testamenti, in quibus apostoli cum Iudaeis colloquentes hos fratres vocarunt, vt Act. III. 17. VII. 2. XIII. 26. XXII. 1. Dicuntur vero isti fratres, atque opponuntur alienigenis, ob nexum, qui eos intercedebat maiorem, quam quo cum aliis populis coniuncti erant. Nam non solum vnam eandemque ciuitatem ac vnum quasi corpus constituebant, iisdem adstricti legibus, eidem subiecti imperio, iisdemque gaudentes priuilegiis, verum etiam ab iisdem descendebant maioribus. Etenim omnes fere patriarcham, Iacobum, patrem communem agnoscebant.

§. V.

*Significatus proprius latissimus.*

Tertia significatio propria nominis fratrum atque forum omnium latissime sese extendit. Comprehenduntur enim hoc sensu accepto nomine omnes in vniuersum homines. Sic occurrit haec denominatio Gen. IX. 5. vbi lex datur vniuersalis de nemine occidendo, quae omnes igitur homines obligat, quod expressis quoque verbis additur. Huc quoque pertinet lex ista de homine non odio habendo Leuit. XIX. 17. in explicatione decalogi, qui cum omnibus hominibus datus sit, denominatio fratrum ad omnes quoque homines pertinet. Duplicem huius denominationis rationem reddere possumus. Prior est, quod omnes homines vnum eundemque creatorem, Deum T. O. M. habent, qui tanquam communis pater tam ob creationem quam ob conseruationem suspiciendus est Ies. LXIII. 8. Mal. II. 10. quam ob causam Paulus quoque Act. XVII. 28. Arato, Poëtae Graecorum, adstipulatur, qui, nos diuinæ esse progeniei, asseruerat. Si igitur vnus omnes sumus progeniei, nomine fratrum insigniri cur non possemus? Eandem ob rationem



aliis etiam rebus creatis quodammodo idem competit nomen, quare Iob. XXX. 29. serpentes atque struthiones hominum fratres sociique dicuntur. Posterior ratio est vna eademque origo ab iisdem primis parentibus, Adamo atque Eva; qua omnes homines arctiori constringuntur vinculo inter sese, quam cum aliis rebus creatis, A& XVII. 26. Multa sane officia, quae homo homini praestare tenetur, exinde oriuntur, quae omnia in illud vnum, vniuersalem amorem, collineant, quae vero hic omnia indicare vberiusque pertractare instituti nostri ratio vetat.

## §. VI.

*Significatus improprius latior.*

Haec habeas de significationibus huius nominis propriis. Ad arcem ipsam accedendum, ac in significatus impropriis inquirendum erit. Sunt vero improprii illi, qui non naturalem, sed spirituales respiciunt nexum, qui in duo potissimum abeunt genera. Adhibetur enim hoc nomen hoc significatu vel sensu latiori vel strictiori; priori sensu indicantur omnes Christi nomen profitentes, nullo ad statum eorundem internum habito respectu, vbi igitur et homines cum Christo externe coniunctos et ab illo interne remotos indignant. Probant hoc omnia ista dicta sacrae scripturae, in quibus etiam homines a Christo alieni fratres dicuntur. Hic tantummodo prouocabo ad 2. Thess. III. 6. 15. vbi illi, qui ἀνάκτορος ambulantes, ac cum quibus in Christo spem reponentes ne conuersari quidem debent, fratres vocantur, et Matth. XVIII. 15. vbi homo peccans atque in peccato persistens ita appellatur. Conferatur 1. Cor. V. 11. vbi frater idem est ac in genere Christianus. Hac denominatione hoc etiam respectu nihil aliud indicatur, nisi hos arctius cum reliquis Christianis, ac ipsis



ipsis regentis, quam cum aliis, qui extra ecclesiam Christianam degunt, esse coniunctos. Maiora igitur sunt, quae ipsis debemus, officia, atque in collisione officia Christiano praestanda iis, quae aliam profitenti fidem debemus, sunt praefrendenda, sicuti officia, quae fratri naturali debemus, aliis officiis aliis hominibus praestandis anteferre tenemur, si non posteriora bonum concernant publicum. Hoc quoque de Christianis, qui alia sequuntur sacra, statuendum, quae vero cum parum ad scopum meum faciant, vberius in Theologia morali pertractata inuenies.

§. VII.

*Significatus improprius strictior.*

Vltimus denique huius nominis notetur significatus, in quo explicando toti erimus, sensu nimirum strictiori nomen fratrum atque sororum improprie adhibetur de omnibus in Christum vere credentibus, per fidem cum Christo arctissime coniunctis, ac ob hunc cum Christo nexum communem inter se inuicem quoque tanquam membra vnus corporis cohaerentibus. Huius significatus innumera fere exempla ex oraculis diuinis noui testamenti in medium proferri possent, nisi illud superfluum esse putarem, cum quilibet ipse haec in omnibus fere paginis inuenire possit. Praeterea quoque in ipsa accuratori huius rei pertractatione multa allegabimus loca illud efficientia. Rationes vero huius denominationis, in idoles fraternitatis, exinde oriunda officia atque priuilegia, vsus denique eiusdem atque abusus in subsequenter vberius explanabitur, dummodo breuibus adhuc indicauerimus, quomodo hoc nomen in hoc sensu acceptum in vetere ecclesia Christiana sit adhibitum, tempore vero accrescente magis magisque in vsu esse desierit.

§. VIII.



## §. VIII.

*Vsus nominis in ecclesia apostolica.*

Si ad ecclesiam ante omnes respicimus apostolicam, quae in sacris litteris optime describitur, obseruamus, apostolos se inuicem hoc nomine allocutos esse. Hoc erat monitum Christi, quod ipsis ante ascensum suum in coelos impertuerat Matth. XXIII. 8. Ὑμεῖς δὲ μὴ κληθῆτε βασιβεῖς ἐς γὰρ ἐστὶν ὑμῶν ὁ καθηγούμενος, ὁ Χριστός πάντες δὲ ὑμεῖς ἀδελφοί ἐστε. Huius moniti non immemores hoc nomine semper se compellauerunt, vt acta apostolorum docent. Sic in concilio Hierosolymitano Act. XV. Petrus atque Iacobus reliquos alloquentes titulo fratrum comm. 7. et 13. vsi sunt, quo quidem nomine et Paulum salutarunt Act. XXI. 20. Petrus quoque Paulum 2. Epist. III. 15. ἀγαπητὸν ἀδελφὸν dicit. Non vero solum se inuicem, verum etiam alios Christo deditos, qui non erant apostoli, hoc nomine dignos iudicabant. Testimonium huius rei faciunt sermones apostolorum in actis eorundem litteris consignati, vt Act. VI. 3. XX. 32. Lucas quoque fideles nominaturus saepissime fratres dicit, vt Act. XI. 1. XV. 1. 3. 32. 36. 40. XVIII. 18. ex quo patet euidentissime, nomen illud tunc temporis maxime fuisse vsitatum. In epistolis suis apostoli illos, ad quos scribunt, plerumque fratres vocant. Praesertim vero in epistolis Pauli saepissime haec allocutio occurrit, vt Rom. I. 13. X. 1. XII. 1. XVI. 17. 1. Theff. I. 4. II. 1. III. 1. V. 12. 14. 2. Theff. I. 3. III. 1. cum in epistola ad Romanos duodecies hac expressione vtatur, id quod non tam consuetudini quam amoris eius tribuendum est. Non solum vero hoc nomen adhibet generatim de omnibus Christo fidelibus, sed etiam si speciatim de vno alteroue ecclesiae inuisibilis membro loquitur, vt Rom. XVI. 1. 14. 23. 1. Cor. I. 1. Philem. v. 16. praesertim de doctoribus senioribusque ecclesiae,



siae, qui apostolis erant inferiores, vt Timotheo, atque Philemone. Sic omnes etiam fideles se inuicem nomine fratrum exceperunt, nullum vero deprehendere licet exemplum, vbi inferiores apostolos hoc nomine allocuti sint, quippe quorum plerique per apostolos ad meliorem frugem reuocati tanquam filii eorundem considerari poterant. Quam ob causam ipsi quoque apostoli saepius se patres, alios vero filios dicunt, cuius rei exempla habemus 1. Cor. III. 15. 17. 2. Cor. VI. 13. Gal. III. 19. 1. Thess. II. 11. 1. Tim. I. 2. 18. Tit. I. 4. Philem. v. 10. Ioannes etiam saepissime in epistola sua prima illos, ad quos scribit, nomine sibi perquam familiari *τενία* vocat, ad affectum amoris eo melius exprimendum, atque lectoribus in memoriam reuocandum, xpi per euangelium, quod ipse iis annunciauerat, non vero per doctrinam haereticorum, qui tum temporis ecclesiam disturbare litesque mouere coeperant, esse conuersos, quamuis etiam nomen fratrum non plane negligat 1. Ioh. II. 7. Accedit etiam, quod Ioannes senio iam confectus iure suo iuniorum patrem vocare se poterat, quale etiam exemplum refert Eusebius, *a)* vbi Ioannes iuueni cuidam dicit: *Τὸ μὲν Φεύγετε, τέκνον, τὸν σαυτοῦ πατέρα;*

*a)* in historia ecclesiast. III. c. 23.

### §. VIII.

#### *In ecclesia temporum subsequentiū.*

Primis inde temporibus idem nominis fratrum atque sororum, qui in ecclesia apostolica, vsus fuit. Doctores coetus Christianorum se inuicem, vt et honore ipsis secundos fratres appellarunt, ac inferioribus erga pares idem in consuetudine fuit, quam quidem erga aduersarios constantes strenueque defenderunt. Qua de re Athenagoras, *b)* Christianos legem sibi fixisse, inquit, iustissimam, *καθ' ἡλικίαν τοῦς μὲν*  
B ἰούς



υἱὸς καὶ θυγατέρας νοεῖσθαι, τοὺς δὲ ἀδελφούς καὶ ἀδελφάς. De hoc discrimine patrum fratrumque infra plura differendi locus esto. Minutius quoque Felix c) hac de re ita loquitur: Sic mutuo, quod doletis, amore diligimus, quoniam odisse non novimus. Sic nos, quod invidetis, fratres vocamus, ut unius Dei parentis homines, ut consortes fidei, ut spei coheredes. Vos enim nec invicem agnoscitis, nec fratres vos, nisi ad parricidium, recognoscitis. Idem asserit Augustinus d) Christianis hoc nomen fratrum competere, atque illo nihil aliud indicari, quam verum Christianum. Quod vero etiam inferiores a superioribus pro fratribus sint habiti, docent verba Chrysostomi e) de Onesimo loquentis: Si meus frater est, profecto non erubescet et tu, illum habere fratrem. Ex eo igitur, quod fratrem appellavit, magna illum benevolentia et pari secum honore dignum iudicavit. Si Paulus itaque non erubuit, eiusmodi hominem (seruum scilicet, qualis erat Onesimus) fratrem vocare, quid, obsecro, nos erubescemus? Idem: f) Ne dixeris, iste est sutor, et alius est tinctor, alius est faber aerarius. Sed cogita, eum esse πῦσόν καὶ ἀδελφόν. Hoc nomine fratrum complectebantur simul nomen sororum, cuius quam plurima exempla sunt praefo. Tertullianus enim g) de mare et vxore loquens dicit: Ambo fratres, ambo conserui, nulla spiritus carnisve discretio; et Ambrosius h) Vir inter fratres duos, alteram virginem, alterum sacerdotem. Augustinus etiam decem commemorat fratres, quorum septem fuerint mares, tres feminae i).

b) in πρὸς Β. περὶ Χριστιανῶν.

c) in Octavio pag. 367.

d) in l. I. de sermone Domini in monte.

e) in homilia IIda.

f) in homilia XXma in l. Cor.

g) in libro ad vxores.

h) in orat. funebr. de Satyro.

i) in libro XVIIImo de ciuitate Dei.



## §. X.

*Ab inferioribus superiores fratres non sunt vocati.*

Inquirendum adhuc erit, appellauerintne etiam inferiores atque Laici doctores ecclesiae fratres, necne, ut et sintne etiam magistratus atque superiores reliqui, postquam imperatores ad religionem Christianam se contulerint, hoc nomine insigniti. De doctoribus ecclesiae supra (§.IX.) exemplis iam effectum est, ipsos auditores suos reliquosque inferiores fratres vocasse, nec non eosdem erga se inuicem hoc nomine vfos esse. Eam ob causam etiam, si ipsi cum Laicis res erat, plerumque adiecta quadam nota illud indicant, cum, si de omnibus fratribus, nullo habito discrimine, loquerentur, etiam episcopos reliquosque ecclesiae doctores hoc nomine comprehenderent. Sic Cyprianus litteras dedit ad fratres in plebe consistentes, quae sunt inter epistolas eius in editione Pameliana XVII. de quo etiam multas habemus epistolas ad plebem et doctores easdem, vbi istos generatim dilectissimos fratres vocat. Nullum vero inuenies exemplum, quod doctores ecclesiae ab inferioribus sint fratres vocati. Mira nempe et insignis inferiorum erga doctores reuerentia effecit, ut hos sibi non pares, sed maiores putarent, adeoque non fratres, sed patres potius dicerent, cum per verbum a doctoribus acceptum ad meliorem frugem se corripuissent. Inter Iudaeos etiam vniuersali fere consuetudine percalluit, ut doctores vel patres vocarent vel ἀρχοντας vel προεσβυτάους, quod etiam ipsi apostoli virique apostolici sunt imitati Act. III. 8. VII. 2. XXII. 1. 5. Cum vero primi, qui conuertebantur, Iudaei essent, probabile est, ipsos etiam hanc consuetudinem retinuisse. Inuenimus etiam hanc rem ab Augustino diserite indicatam: *Hodie, inquit, episcopi, qui sunt per totum orbem, vnde nati sunt? Ipsa ecclesia patres illos appellat, ipsa genuit,*



nuit, et ipsa illos constituit in sedibus patrum k). Hoc discrimen nomen fratrum, patrum filiorumque intercedens optime exposuit Chrysostomus dicens: *Secundum fidem nihil habeo equidem amplius quam tu, communis quippe est, ac per eandem et ego sum genitus. Qua igitur ratione ipsum filium vocas? Nonne id eo, ut affectum solum patris ostenderes, an quia superior in praedicatione praecesseras, an quia per te ipse lumen fidei ac veritatis acciperet? Hinc profecto et filios et fratres vocare non renuit, quoniam ex eadem fide sunt geniti, fratres, filios autem, quia per illius ministerium sunt regenerati. Quod ergo secundum communem fidem ( Paulus dicit ) fraternitatis significavit affectum l). Et Augustinus: Omnes sub vno Deo patre cognati sunt, qui eum diligunt et faciunt voluntatem eius. Et inuicem sibi sunt patres, cum sibi consulunt, et filii, cum sibi optemperant, et fratres, maxime quod eos vnus pater testamento suo ad vnam hereditatem vocat m). Generaliter quoque hac in re maiorem fidei incrementorum rationem habebant, quam ob causam Athenagoras fatetur, τοῖς προβεβηκόσι τὴν τῶν πατέρων καὶ μητέρων τιμὴν ἀπονέμεσθαι n). Eadem fere etiam est ratio aliorum superiorum, vt imperatorum, qui veram religionem amplexi erant. Pauca enim habemus exempla, quod episcopos fratres vocauerint, nulla, quod ab aliis fratres sint appellati. Athanasium enim, episcopum Alexandrinum, et episcopos, qui in concilio congregati erant Tyri atque Nicaeae, Constantinus M. primus imperator Christianus, fratres appellauit, quod testantur Eusebius lib. III. de vita Constantini M. cap. XXI. et Socrates lib. III. H. E. cap. XLII. aliique. Plura hac de re inueniri possunt in Gothofredi Arnoldi libro, cui titulum fecit: *Fratrum sororumque appellatio.**

k) in commentat in Pf. XLIII.

l) in homilia Ima in Titum.

m) in lib. de vera religione cap. XLVI.

n) in πρεβ. πρεβ. Χριστιανῶν.



## §. XI.

*De Christianis quoque mortuis et futuris adhibitum est.*

Nomen fraternitatis non solum ecclesiam cum innumeris calamitatibus inimicisque adhucdum consistentem indicavit, sed illi quoque huic annumerati sunt, qui ex hac vita in illam concesserant, ubi placidissima quies et sempiterna felicitas vigent, ut et alii, qui in posterum hanc veram religionem amplectentes Christi castra essent secuturi. Prius patet ex Cypriani verbis, *fratres inquentis, non esse lugendos accessione dominica de seculo liberatos o)*. Idem fratris excedentis p) et fratrum beatorum gloriosae mortis exitu ad immortalitatem transeuntium q) mentionem iniicit. Ita Paulinus quoque habet: *Vivite felices, aeternum vivite fratres r)*. Posterius vero exinde liquet, quod, qui olim Christo nomen sint daturi, ecclesiae invisibili adscribant, cum Augustinus eam, quae et qualis sit, descripturus, dicat, quod non sit haec vel illa, sed toto orbe diffusa, nec ea, quae nunc est in hominibus, qui praesentem vitam agunt, sed ad eam pertinentibus etiam his, qui fuerunt ante nos, et qui futuri sunt post nos, usque ad finem seculi. Idem: Multos non videmus fratres nostros, et in unitate spiritus illis copulamur. Quid mirum, quod nobiscum non sunt? In uno corpore sumus, unum caput habemus in caelis s).

o) serm. III. de mortalitate.

p) epistola Ima.

q) epistola XIIIa.

r) carm. XV. de obitu Celsi.

s) in tract. VI. in Ioh.

## §. XII.

*Sine haereticis quoque impositum.*

Considerandum iam venit illud, sine hoc nomen etiam haereticis atque schismaticis impositum, quod duplici ratione et via expediatur. Potest enim vel affirmari, vel



etiam, dissentientium habito conditionis respectu, negari. Bene profecto primi Christiani distinxerunt inter haereticos et errantes. *Non omnis error*, inquit Augustinus, *haeresis est, quamvis omnis haeresis, quae in vitio ponitur, non nisi errore aliquo, haeresis esse possit.* Potest enim aliquis in rebus fundamentum salutis non destruentibus errare, qui eam ob causam a communione fraterna non sit excludendus pellendusque. Hos tantummodo haereticos habuerunt, apud quos omnia extranea atque aduersaria veritati sint, quales eos Tertullianus describit (r) vel secundum Origenem *ἕνους καὶ ἀλλοτριούς τῆς πίστεως* (u) et secundum Clementem Alexandrinum *στ. 3. πορευέοντας ἀπὸ τοῦ ἑνὸς ἀνδρός* (Θεοῦ) i. e. praefracta fronte illi nuntium remittentes, vt et pertinaciter errantes, atque ad viam rectam nulla ratione se reduci patientes. Hos fratribus annumerare noluerunt, quippe ne Christianis quidem, de quo Origenes: *πὺς ἔστι Χριστιανός, ὃς οὐδὲ ὄνομα καταλείψασιν Χριστιανίου φέρειν* (v) Sibi ipsi quidem saepe sapius haeretici hoc nomen fratrum arrogare conati sunt, nihil aliud quaerentes, quam vt eo facilius hac ratione societati Christianae malam inurerent notam, eamque foede dilacerarent, quamuis et alii dulce hoc nomen ipsi respuerint, nihil sibi cum Christianis partium esse dicentes. Sic de Donatistis loquitur Optatus. *Quamuis et illi non negent, et omnibus notum sit, quod nos odio habeant et execrentur, et nolunt se dici fratres nostros, tamen nos recedere a timore Dei non possumus.* (x) Magna interea circumspeditione opus erat atque prudentia, ne Christiani illos fratrum nomine indignos temere et praecipitanter iudicarent, qui ob arctissimam cum Deo coniunctionem suo iure illud merebantur, quam ob causam non statim illos fratres appellare desuerunt, qui a sententia recepta in vno alteroue doctrinae capite recessissent, praesertim si palmaris  
 non



non respiceret doctrinas, ab aliis seducti aut ignorantia in errorem prolapsi, id quod exemplum iam in medium prolatum Optati Mileuitani probat, qui non ita multo post pergit: *Sunt igitur sine dubio fratres, quamuis non boni. Quare nemo miretur, eos me appellare fratres, qui non possunt non esse fratres. Est quidem nobis & illis vna spiritualis naturas, sed diuersi sunt actus.* Hoc fecerunt, quoniam ex eadem matre, ecclesia, nati, ad eadem sacra admissi, atque ad eos dominica, quam dicunt, oratio etiam respiceret, id quod pluribus in libro Optati supra citato videre est, praefertim vero pag. 88. edit. cit. Quod si vero opiniones dissentientium toti ecclesiae maximum damnum esse illaturas mente praecidebant, haereticos malebant ab ecclesiae communione arceri, ne contagio pestilentissima totum peruaderet gregem, id quod ex decretis conciliorum satis superque constat. Rei publicae enim Christianae hac ratione consultum malebant quam rei priuatae. Quam ob causam anathemate deuocabantur, & ecclesiae communione interdicti, omnibusque eiusdem priuilegiis ac immunitatibus priuati multis insuper afficiebantur poenis, diuersis tamen pro diuersitate errorum gradibus. In haeresiarchas seueriores fuerunt, quam in eorum sectatores, in malitiose ac proterue castra Christi deserentes duriores quam in eos, qui ab illis metu minisque adducti discesserant, rigidiores in reiciendes corruptesue baptismum, quam in eos qui illum talem retinerent, qualem acceperant. Omnes vero gradus admonitionum antea ex praecepto Christi adhibebantur, vt deinde eo certiores esse possent, se non fratrem, sed inimicum ex communitate sacra exterminasse. Sed haec vberius pertractari hic nequeunt. Qui plura cupit, adeat Binghami origines ecclesiasticas l. XVI. Cap. VI. Interea tamen, quamuis minime solliciti essent de ecclesia incor-



incorrupte conseruanda, iste nimium hanc puritatem extenderet, atque parrium studio laborare videretur, qui *Ψευδοδελφους* in ecclesia fuisse negatum iuerit. De his enim iam questi sunt apostoli, qui illos a veris fratribus bene discernere poterant. 2. Cor. XI. 26. Gal. II. 4. Et Hieronymus, in Obad. I. *persecutionem*, inquit, *saeuiozem vel e Iudaeis vel ex his fieri, qui fratres se esse simulent, et eodem censeantur nomine, ac Augustinus, in Pf. IX. persecutionem ecclesiae alteram violentam, alteram fraudulentam fuisse et hanc per falsos fratres actam.*

†) de praefat. cap. XII.

\*) libro VI. contra Celsum.

ψ) in dialogo contra Marcionem.

κ) lib. Imo pag 4. edit. Parisienf. MDCLXXVIII.

### §. XIII.

*Vsus huius nominis tunc temporis possibilis fuit.*

Neutiquam vero eam ob causam, quod quidam *Ψευδοδελφοι* fuerunt, consuetudinem illam, qua veteres Christiani se inuicem fratres sororesque appellabant, periculosam noxiamque dixerim. Nihilo enim secius hoc tunc temporis commode satis fieri poterat. Primis enim temporibus dona spiritus sancti extraordinaria in ecclesia adhucdum videbantur in apostolis virisque apostolicis, i. e. iis, qui ex eorum disciplina defluerant. Nihil idcirco facilius, quam ope spiritus sancti *Ψευδοδελφους* a genuinis fratribus discernere, atque fratrum nomine prohibere. Seculo igitur primo et dimidio forsan quoque seculo secundo dona haec florebant, quapropter ecclesia quoque pura meliorem saltem partem conseruari poterat; cuius etiam plura in sacris litteris exempla sunt obuia. Qua enim ratione, nisi ope peculiari spiritus sancti, apostoli Ananiam atque Sapphiram non veros fratres, sed Hypocritas esse nouissent? Act. V. 1. seq. At tempore subsequenti dona spiritus sancti extraordinaria pedetentim



tim cessarunt. Quis est, qui non videat, aequae ac nostris temporibus difficile tum fuisse, genuinos a falsis fratribus dignoscere? Non vero inficias ibimus, dona haec singularia successiue cessasse; sed eo ipso etiam concedimus, primis post apostolos temporibus haec dona nondum penitus in ecclesia defecisse, cum dixerimus, *successiue* illa cessasse. Maiora igitur tamen fuerunt quam nostris temporibus, cum iamiam ordinaria spiritus sancti dona, quae respectu regni gratiae ordinaria vocamus, quamuis, ratione habita regni naturae, talia non sint, nobis ad salutem sufficient. Praeterea quoque illo tempore, quo ecclesiam multis persecutionibus diuexatam nouimus, vero similis erat, quam temporibus subsequens, illos, qui, non impediti his calamitatibus, verae religioni nomen professi sunt, non esse hypocritas, faciliusque manifesti fieri poterant, cum non adeo multa commoda ac prosperitatem externam expectare possent, ipsique de aeternis parum essent solliciti. Ceterum nunquam negatum ibimus, quod, cessantibus diris illis et funestis hominum Christianorum cladibus, et cum plura commoda externa religio Christiana promitteret, nomen quoque fratrum atque sororum non ita semper adhibitum sit, ac pro vero eiusdem significato fieri debuisset, quod etiam diserte loquuntur temporum istorum, qui nobis supersunt, annales.

§. XIII.

*Re ipsa fratres se esse ostenderunt.*

Cum vero nomen ipsum nullius sit utilitatis, nisi etiam ad officia, quae eodem exiguntur, praestanda nos impellat, Christiani neque in ecclesia apostolica, et quae illam proxime exceperit, solo huius nominis usu contenti erant, sed potius re ipsa fratres esse malebant.

C

ab



ab ipsis apostolis aliisque coetus sacri doctoribus *Φιλαδέλφια*, immo etiam *Φιλοσοφία* iterum iterumque commendatur, Rom. XII. 10. 1. Theff. III. 9. Hebr. XIII. 1. 2. Petr. I. 7. Quae de re Augustinus: *Dilectioni fratrum retinendae inuigilatur omni industria, caritas praecipue custoditur, caritati victus, sermo, habitus, vultus aptatur, coeunt fratres in unam et conspirant caritatem; hanc violare, tanquam Deum, nefas ducunt, huic si quis resistat, expugnatur atque euitatur* y). Idem probant verba Minucii Felicis (§. VIII.) allegata. Hoc amore curam habebant salutis fratrum tam respectu spiritus quam corporis, internae externaeque felicitatis. Praecipue tamen salus fratrum spiritualis ipsis curae cordique erat, ad quam quidem promouendam artificissima coniunctione et fraternitate, quae non naturali quadam germanitate, sed coniunctione coelesti ac supernaturali nititur, obligati erant. Solliciti igitur erant tum de salute totius ecclesiae atque fratrum coetus vniuersi, verum etiam vnus cuiusque membri eiusdem curam gesserunt peculiarem, publicam tamen rei publicae Christianae salutem saluti priuatae anteferentes. Praeterea quoque magis commodis studebant illorum, qui proxime tempore locoque cum ipsis coniuncti erant, quam aliorum vel alterutro vel utroque ab ipsis separatorum, de quo Augustinus sic habet: *Omnes fideles homines debemus diligere, sed, cum omnibus prodesse non possumus, illi maxime consulendum est, qui pro locorum et temporum vel quarumlibet rerum opportunitatibus constrictius nobis quadam sorte coniungitur* z). Quam ob causam etiam illi, qui, ob animi malitiam a Deo profus alieni, huius *Φιλαδέλφιας* participes fieri non poterant, fratrum sororumque nomine indigni sunt iudicati, quam quidem ob rem Origenes sequentia scribit: *Qui grandia illa peccat, non est frater, nisi forte nominetur frater. Differentia enim est inter fratrem et eum, qui nominatur frater. Et quo-*



quoniam distant a se, propterea dicit apostolus: Si quis frater etc. Nemo enim idolorum cultor aut fornicator aut auarus frater est a). De officiis ex hac *Φιλadelphια* deriuandis specialibus in sequentibus dicendi locus erit, quae omnia veri fratres siue Christiani in veteri quoque ecclesia reliquis praestare toto animo viribusque contenderunt.

1) lib. I. de mor. Eccl. cap. 32.

2) in comment. in Gal. VI.

3) in Tr. 6. in Matth. XVIII.

§. XV.

*Communio bonorum non nisi Hierosolymis fuit.*

Quod si externam quaeris felicitatem, etiam hanc ob necessitudinem arctissimam ipsos intercedentem promouere nulli intermittebant, cum alter alteri opibus destituto succurrere bonis suis quaereret, vel communionem bonorum vel alio quocunque modo. Adducimur igitur ad accuratorem indaginem, quid de communionem bonorum in primaeua ecclesia Christiana sit statuendum, ubi illa floruerit ac quouisque durauerit. Negare non possumus, quamdam bonorum communionem ex primis inde ecclesiae apostolicae incunabulis in coetu sacro Hierosolymae obtinuisse. Testantur enim hoc evidentissima sacrae scripturae loca Act. II. 44. 45. 46. III. 32. 34 - 37. V. 1. seqq. Rationes vero huius introductae communionis neuiquam in eo quaerendae sunt, quod illam ad ipsam fraternitatem efficiendam absolute simpliciterque necessariam duxerint. Etenim si haec illis subfuisset ratio, in omnibus certe omnium regionum conuentibus Christianorum sacris lege quadam stabilienda fuisset, cum omnes eadem fide coniuncti fratres essent: quod tamen nunquam factum esse, deinceps pluribus commonstratum ibimus. Res quoque ipsa idem loquitur, cum talis communio bonorum vniuersalis suapte natura nulla ratione locum inueniat.



Attamen ubique florere debuisset, si pro parte fraternitatis absolute necessaria accepta fuisset, cum alias fratres in diuersis regionibus degentes cum reliquis in eandem coire fraternitatem et quasi coalescere non potuissent. Primi igitur Christiani vel in vnum conuenire locum, ibidemque permanere debuissent (id quod omnino fieri non posse, quis est qui non videat?) vel omnes reliqui, qui non in illo loco, ubi communio bonorum viguit, vixerunt, non genuini fuissent reliquorum fratres, quod etiam a nemine assertum iri confido. Vnde cuilibet abunde constare posse arbitramur, vniuersalem hanc consuetudinem esse non potuisse, neque pro absolute necessaria habitam. Ratio inde potius petenda est, quod multis grauissimisque persecutionibus Christiani tunc temporis essent expositi ac diuexati. Semper igitur illis erat extimescendum, ne ab infensissimis rei Christianae hostibus bonis a parentibus acceptis exuerentur, domibus possessionibusque exturbati vel in exilium mitterentur vel crudeli denique supplicio interirent. Quare ipsi domos, agros et omnia, quae possidebant, vendere, atque in ecclesiae vsum conferre maluerunt, vt inde omnibus opibus inter Christianos carentes nutrentur, quam illa hostibus acerbissimis diripienda tradere, ad nefandam cupiditatem illorum exfatiandam. Neque ex omni parte laudem meretur ipsa haec consuetudo. Multi enim Christianorum ea ita ad incitas redacti sunt, vt ipsi, vnde victum depromerent, non haberent, quam ob causam Paulus stipem pro Hierosolymitanis ex reliquis Christianis collegit. Neque nobis quis obiiciat, quod tamen apostoli Ananiae Act. V. illud vitio verterint, quod non omnia, quae habuit, ecclesiae tradiderit. Rem enim ipsam nequiquam vituperarunt, vt ex comm. 4. apparet, sed modo dissimulationem eiusdem: Speciem enim maximae sanctitatis ac omnium



omnium rerum neglectus prae se ferre volebat, cum tamen reapse non nisi hypocrita esset, atque cum vxore ad imponendum apostolis ipsique spiritui sancto, quod dicit Petrus, comm. 3. 4. 9. malitiose conspirasset. Etenim se omnem, quae ex agro rediisset, pecuniam attulisse dicitabat, cuius tamen non nisi partem obtulerat. Tempus vero, quousque haec communio bonorum Hierosolymae in usu fuerit, accurate determinari nequit. Vero simile nobis videtur, illam cessasse, Christianis Hierosolymitanis magna illa persecutione in tota terra Iudaeae atque Samariae disiectis Act. VIII. 1. cum nullam amplius post illa tempora huius communionis in actis apostolorum mentionem iniectam deprehendamus.

§. XVI.

*In aliis coetibus Christianis non fuit.*

In antecedenti §o. quaedam iam monita sunt de eo, quod communio bonorum non in omnibus ecclesiis fuerit introducta. Iam vero id agemus, vt de quibusdam ecclesiis specialius ostendamus, eandem in illis nunquam fuisse receptam. Corinthios nullam. obseruasse. bonorum communionem, ex 2. Cor. VIII. VIII. constat, vbi Paulus ipsos monet, vt quilibet pro facultatibus suis aliquid conferret ad pecuniam colligendam pro ecclesia Hierosolymitana, et quidem quisque sponte, et non coactus. Cui bono vero haec fuisset adhortatio, nisi quisque ex propriis aliquid dedisset, sed si potius omnia excommuni quodam aetario depromenda fuissent. Idem quoque de ecclesia Antiochena constat, quae fratribus in Iudaeae stipem quoque subministrabat et quidem quilibet, καὶ οὗτος ἡμῶν Act. XI. 29. 30. Nec in Ephesina ecclesia omnia fuerunt communia, quod exinde patet, quia Paulus Timotheo, episcopo ecclesiae Ephesinae, praecipit, ne aliam nisi egenam viduam ab ecclesia atendam, reliquas



vero a propinquis nutriendas curaret, ne coetui sacro molestiam exhiberent 1. Tim. V. 16. quod, si omnia communi vsui destinata fuissent, superfluum esset, cum omnes tum ex communibus bonis sustentandae fuissent. Thessalonicenses quoque Paulus hortatur, ut quilibet sibi acquirat propria, panemque proprium comedat, ne ex aliorum opibus viuere cogatur 1. Theff. III. 11. 12. 2. Theff. III. 8-12. Hinc satis luculenter nobis perspicere videmur, in his ecclesiis nunquam communionem bonorum in consuetudinem cessisse, ac veteres Christianos hanc absolute necessariam fraternitatis partem non iudicasse. Interea sunt, qui sibi aliisque persuadere volunt, communionem bonorum vniuersalem fuisse in primaeva ecclesia, ac longum post apostolos tempus adhuc viguisse. Rationes vero, quas in medium proferunt, nihil efficere posse, quiuis facile concedet, cum loca, quae ex scriptis veterum ciuitatis Christianae doctorum adducuntur, nihil aliud probent, nisi quod alter alteri opibus suis succurrere atque inopiae eiusdem subuenire quaesuerit. Et si quoque dicunt, omnia ipsis communia esse, eam subiungunt plerumque explicationem, quod nimirum quilibet illud, quo abundaret, in alterum deriuare teneatur, ac ipsi omnes necessitates, quousque posset, sufficere. Quod vberius de omnibus locis, quae aliquid huc conferunt, ostendi posset, nisi instituti nostri ratio illud prohiberet. Neque testimonium Luciani, hostis Christianorum infensissimi, aliquid contra nos ponderis habet, qui in Peregrino mores Christianorum vituperaturus etiam ipsos in commune viuere dicit, omniaque ab ipsis communiter possideri, ne exceptis quidem vxoribus. Nemo enim inficias ibit, Lucianum de moribus Christianorum non rite informatum atque alia multa falsa Christianis imputantem hac in re testimonium fide dignum ferre non posse.



posse. Ipsius enim scripta vel impudentissimis scaterere mendaciis, quilibet, qui rem ex aequo ponderat, vel primo oculorum obtutu viderit, quin et huic ipsi, de quo nobis res est, asserto eiusmodi quid intersperferit impurissimus calumniator, quod vel primis religionis Christianae principiis e diametro repugnat, quae quemlibet propriam vxorem habere iubet 1 Cor. VII. 2. Nec nobis obiici potest, Lucianum tamen non potuisse omnia haec sibi effingere atque excogitare nullam omnino veri speciem prae se ferentem. Audiuit enim forte, primitus hunc morem apud Christianos obtinuisse Hierosolymis, vel etiam ipsi sermones Christianorum, quibus de communionem quadam, quae inter ipsos floreret, loquebantur, illi ansam praebere potuerunt, ut hanc Christianis inureret turpitudinis notam. Saepius enim illud communionem bonorum dicebant, quod diues egenis opibus suis sustentandis operam daret. Neque ii fortioribus stabiliunt argumentis sententiam suam, qui nobis persuadere volunt, communionem bonorum inter Christianos ducentos annos in usu fuisse, quoniam ab Urbano I. episcopo Romano, qui seculo tertio vixit, primum esset abrogata. Plumbeo vero nos isti iugulant gladio, Urbanus enim illam prohibuit quidem, cum pauci illi colendae adhuc operam nauarent, nequiquam vero exinde patet, quod in coetibus quibusdam Christianorum omnia eorundem membra in hanc rem conspirarint, ne dicam, quod in vniuerso orbe Christiano vigerit.

## §. XVII.

*Quidam clerici hanc communionem bonorum inter se introduxerunt, haeretici vero eadem sunt abusi.*

Interea tamen negari non potest, interdum etiam post illa tempora a quibusdam Clericis communionem bonorum esse



esse exultam. In quibusdam enim ecclesiis clericis cum episcopo omnia erant communia. Possidius hoc de Augustino asserit: *Cum ipso semper clerici una etiam domo ac mensa, sumtibusque communibus alebantur et vestiebantur.* (b) Ipsemet Augustinus hoc de se proficitur: *Quia placuit, inquit, Deo propitio socialis haec vita, quisquis cum hypocrisi vixerit, quisquis inuentus fuerit habens proprium, non illi permitto, ut faciat inde testamentum, sed delebo eum de tabula clericorum. Interpellet contra me mille concilia, nauiget contra me, quo voluerit, sit certe, ubi potuerit, adiuuabit me Deur, v, ubi ego episcopus sum, illic clericus esse non possit.* (c) Et Sozomenus hanc communionem Rinocorrurae Aegypti obleruatam inter quosdam clericos fuisse indicat: *Κονή δέσσι;* inquit *τοῖς αὐτόθι κληρικῶσι δίκησις τε καὶ τράπεζα καὶ τ' ἄλλα πάντα.* (d) Neque vero inter clericos haec consuetudo unquam omnibus communis facta est, siquidem ad illam obseruandam non lege quadam diuina adacti, sed mutuo inter se pacto et plurimum consensu obstringendi erant. Non defuerunt deinde etiam, qui hanc communionem bonorum cuiuslibet, qui aeternam salutem anhelaret, omnino necessariam esse, statuebant, eamque ob causam omnes diuites fortunarum suarum iacturam facere recusantes damnabant. Hi homines se ipsos Apotactitas vocabant, quoniam omnibus humanis rebus ita nuntium remittendum postulabant ut ne fortunas quidem possidere omnino liceret, et Apostolicos, quia speciem imitationis apostolorum prae se ferre volebant, ac prae aliis abstinentiae operam se nauare gloriabantur. Hos vero Augustinus ipse pro haereticis declarauit, quoniam hoc pro maxime necessaria parte verae conuersionis habebant, cuius verba ita audiunt: *Apostolici, qui se ipso nomine arrogantissime vocauerunt, eo quod in suam communionem non reciperent uenientes coniugibus et res proprias possidentes -- sed ideo isti haeretici sunt,*  
*quoni-*



quoniam se ab ecclesia separantes nullam spem putant eos habere, qui utuntur his rebus, quibus ipsi carent. Encratitis isti similes sunt, nam et Apotactitae appellantur. (e) Hoc ipsum quoque testatissimum facit, doctores veteris ecclesiae Christianae ipsos hanc communionem non ita necessariam duxisse, ut illa superfedere nefas putassent. Apotactitis quoque legibus imperialibus omnes poenae ciuiles decernebantur, de quo inspicendae sunt in codice Theodosiano lib. XVI. tit. V. de haeret: lex VIIma. et XIma.

(b) in vita Augustini Cap. XXV.

(c) in ferm. L. de diuersis siue de communi vita clericorum tom. X. pag. 523. edit. Parif. MDCXXXVII.

(d) lib. VI. Cap. XXXI.

(e) cap. XI. de haeref.

## §. XVIII.

*Alia signa fraternitatis Christianae.*

Ex dictis vero neutiquam elici potest, nullam existisse inter Christianos *Philadelphian*, quoniam nulla locum inuenit communio bonorum. Haec enim cum signum esse nequeat verae ad Deum conuersionis, illa absente, amorem fraternum deesse concludi nequit. Innumerae aliae erant occasiones, amoris sui erga fratres exempla edendi. Cura singularis egentium atque liberalitas erga eosdem satis luculenter eundem commonstrat; alter enim semper se religione obstrictum duxit, alteri opem ferendi paupertate oppresso. Testantur hoc tam exempla in sacra scriptura obuia, cum Corinthii v. g. largas liberaliter conferrent stipes Iudaeis Christianis Hierosolymis versantibus, quorum plerique pauperrimi erant, transmittendas 1 Cor. VIII. et VIII, vt et Act. XI. 29. Rom. XV. 26. Gal. II. 10. quam effata patrum

D

ve-



veteris ecclesiae, qui saepius *προσφορῆς* et *δότες* commemorant, quorum jam Clemens Romanus et Iustinus meminerunt, quorum posterior hac de re sequentia habet: *οἱ ἐν-προσφύρες δὲ καὶ βουλόμενοι κατὰ τὴν ἐκκλησίαν ἕκαστος προσφέρειν δίδωσι* (†) Haec oblationes, quemadmodum audiebant, in altari diebus dominicis depositae, vel in arcas huic rei destinatas iniectae sunt, ut non solum coenae sacrae celebrandae et doctoribus sustentandis, verum etiam alendis pauperibus atque egenis sufficerent. Qua de re Tertullianus scribit: *Etiam si quod arcae genus est, non de honoraria summa quasi redemptae religionis congregatur. Modicum unusquisque stipem mensura die, vel cum velit, et si modo velit, et si modo possit (nam nemo compellitur, sed sponte) confert. Haec quasi deposita pietatis sunt. Nam inde non epulis, nec potaculis, nec ingratis voratrinis dispensatur, sed egenis alendis humanisque et pueris et puellis re ac parentibus destitutis, iamque domesticis senibus; item naufragis, et si qui in metallis, et si qui in insulis vel in custodiis dumtaxat ex causa Dei sectae alumni confessionis suae sunt; sed eiusmodi vel maximae dilectionis operatio notam nobis inuirit penes quosdam. (g). Haec dona in altari vel artis collecta deinde episcopo vel diacono ecclesiae illius et custodienda et iis pauperibus, qui in tabulas ecclesiae relati erant, distribuenda tradebant, ab his iure optimam horum bonorum administrationem expectantes. Tempore demum accrescente pauperibus atque aegrotis peculiares aedificabantur domus, in quibus victum amictumque accipiebant. Hisce publicis donis nondum contenti primi Christiani inter privatos etiam parietes multos pauperes, aegrotos, peregrinos et captiuos liberaliter refecerunt et hospitio exceperunt. Quamuis igitur non fuerit inter eos communitio bonorum, testimonia tamen *φιλανθρωπίας* hic habes luculentissima. Huc quoque spectant agapae veterum, quippe quibus initio nihil aliud*



aliud voluerunt, nisi ut pauperes reficerentur, nomen ab amore fortitae, quoniam hisce amorem erga fratres luculentissime conspicuum fecerunt, qua de re Tertullianus: Coena nostra denominatione rationem sui ostendit, vocatur enim ἀγάπη. Quamviscunque suntibus constat, lucrum est, pietatis nomine facere sumtum, siquidem inopes quoque refrigerio isto rogamus (b) et Chrysostomus: Statis diebus mensas faciebant communes, et peracta synaxi post sacramentorum communionem omnes commune inibant conuiuium, diuitibus quidem cibos afferentibus, pauperibus etiam, qui nihil habebant, vocatis et omnibus communiter vescentibus. (i) Cum vero hisce praesertim amorem suum fratrum manifestare vellent, ac fraterne vnus se erga alterum gereret, haec conuiuia quoque ἀδελφικὰ vocata sunt. Temporibus vero subsequens agapae istae sunt abolitae ob maximos, qui irreperant, eorundem abusus. Multi enim nimio illos habebant honore, alii vero in intemperantiam pronos se dare nulli dubitabant. Maluit igitur ecclesia antiqua consuetudines non absolute necessarias, quamuis a prima sua origine non nocuas, rescindere, quam ecclesiam earundem abusu penitus corrumpi. Quodammodo quoque signis fraternitatis externis osculum pacis accensendum est, quo se excipiebant veteres Christiani in congressibus tam publicis quam priuatis, et praecipue ante et post usum sacrae coenae quo etiam baptizati in ecclesiam recipiebantur. Indicare hoc nihil aliud voluerunt quam amorem fratrum, quo se inuicem Christiani veteres quam tenerrime amplectebantur, id quod Origenes ex dictis Rom. XVI. 16. et 1 Petr. V. 14. deriuat: *Salutate vos inuicem*, inquit, *in osculo sancto*. Ex hoc sermone et aliis nonnullis similibus mos ecclesiae traditus est, ut post orationes osculo se inuicem suscipiant fratres. Hoc autem osculum sanctum appellat apostolus etc. (k) Verum autem significa-



cum huius signi explicat auctor libri de amicitia: *Osculum pacis, dicens, in signum pacis fit, sic ut communicari in ecclesia interiorum pacem exteriori osculo demonstrent in signum catholicae dilectionis, sicut fiat, cum hospes suscipiatur; fieri autem spirituali mentis affectu, commixtione spirituum, castificante omnia Deo spiritu, et ex sui participatione coelestem immiscente saporem.* l) Haec vero cum ad rem parum faciant, atque illud signum tantummodo fit, quod remotius huc pertinet, de iis vberiores esse non licet, sed progredimur eo, ut ostendamus, qua ratione Christiani sequioris aetatis hoc nomine vsi sint.

f) in apologet: Ildo.

g) in apologet: cap. XXXVIII.

h) ibid. cap. XXXVI.

i) homil. XXVII. in 1 Cor. X.

k) in edit. Lat. opp. Tom. II. fol. 411.

l) in libro de amicitia cap. VI. apud Augustinum.

#### §. XVIII.

*Vsus huius nominis successivus cessavit.*

Aevo tempora priora excipiente ecclesia Christiana languescere atque in deterius rure coepit, cum tam inter Laicos quam inter Clericos multi essent non nisi nomine Christiani. Huc mirum quantum contulerant magna ecclesiae Christianae incrementa, quae se vbique terrarum diffundere incepit, et ipsa quasi magnitudine laborare. Postquam enim ipsi Romanorum imperatores in partes Christianorum pedibus iuerant, magnae illae et dirae afflictiones cessarunt, quibus antea Iesu nomen proficentes premebantur. Non amplius illa imminebant pericula, non cum tot innumeris conflictandum calamitatibus, maiora potius commoda externa quam ex antiqua superstitione gentilium expectari poterant, quam ob causam multi de felicitate aeterna parum solliciti externa tamen prosperitate ad veram fidem ample-



amplectendam alliciebantur. Facile vero exinde iudicari potest, usum nominis fratrum atque sororum iis temporibus non ita purum castumque conservari potuisse ac exigebatur. Ab usu enim horum nominum erga pietatis simulatores abstinere non in omnibus casibus potuit, cum non amplius hypocritas a veris Christianis semper dignoscere datum esset. Iam tunc omnia ista incommoda ex usu horum nominum propularunt, quibus nostris temporibus laboraret, quae deinde, si de usu eorundem, qui nostris praecipue temporibus obtinet, acturi sumus, dicentur distinctius et copiosius. Successive autem ipse usus huius nominis, praesertim inter Laicos, penitus interiit, cuius rationes, et quomodo id factum sit, iamiam, antequam ad alia progrediamur, indicatum imus.

## §. XX.

*Doctores sibi solis hoc nomen arrogarunt, reliquosque ita appellare noluerunt.*

Primo tempore doctores ipsi aliique superiores auditores subditosque suos nomine fratrum et sororum compellarunt (§. VIII.) ab inferioribus patres vocati (§. X.). Tum vero doctores interiores filios vocarunt, id honori suo aliquid detrahere existimantes, si illos vocarent fratres, sibi que solis hoc nomen vindicarunt. Laici igitur eodem abstinerunt partim opinione, quod doctoribus solis illud competeret, partim negligentia propria induciti, qua nomen hoc cum re illo significata plerique amiserunt. Hac denominatione igitur postmodum utentes plerumque Clericos illo intellexerunt. Iam Hieronymi tempore huius rei exempla inuenimus, qui: *Omnis pene fraternitas de vrbe*, scribit (m) id quod de omnibus Christianis intelligi nequit, quod quilibet facile perspicit. Eiusdem fuerunt significatus aliae



denominationes de clericis vsitatae, vt *confraternitas*, *germanitas* etc. Nollem equidem omnes ciuitatis Christianae doctores, qui tum temporis vixerunt, alti supercilii et affectationis imperii in inferiores accusare. Interea tamen negari nequit, multos, praesertim medio aeuo, eo contendisse, qua de re plura exempla in illorum temporum historiis occurrunt. Postea etiam titulus patriarcharum et archiepiscoporum magis in vsum cessit. Omnibus quidem temporibus doctores quidam reliquis fuerunt praefecti, quamuis his carerent nominibus, fratrum contenti nomine. Initio quoque, cum in vsum haec nomina abirent, existerunt forte haud pauci, qui istis non sint abusi ad velificandum honori suo. Interea tamen in vulgus notum est, postea non defuisse alios, qui titulis his ita sint abusi, vt a doctoribus inferioribus fratrum nomen sibi imponi neutiquam paterentur, ac aliorum fratres penitus audire nollent, quod testatur Codinus: Οἶδὲ, inquit, ἀρχιεπίσκοποι οὐ γράφονται ὑπερῆμεῖ ἀδελφοὶ καὶ συλλειτουργοί, ὡς καὶ οἱ μητροπολίται (m) Gregorius III item, pontifex Romanus vehementer est indignatus, quod imperator Ludouicus ipsum vocauerit fratrem, quam ob causam iste insolenter se efferens respondit: Romano pontifici scribentes contrariis eum in praesatione nominibus appellastis, fratrem videlicet et Papam, dum congruentius esset, paternam reuerentiam exhibere. (n) Et Volsæus, Cardinalis, Varomo episcopo fratrem ipsum vocanti respondit: Efficiam, vt intelligat, se mihi non esse parem, tantum abest, vt sit frater. o)

m) in lib. de offic. Palat. CPt. pag. 241.

n) Vid. Agobardus in compar. vtr. regim. pag. 369. operum, et Baronius A. DCCCXXXIII. n. 10.

o) Vid. Hottingerus in Hist. Eccles. P. V. Sect. III.



§. XXI.

*De fraternitate Monachorum.*

Reliquum est, ut dicamus de reliquis fraternitatibus siue de illis societatibus, quae hoc nomine in primis usae sunt inter se, quo pertinent prae reliquis fraternitates Monachorum. Monachi ab initio in ecclesia non fuerunt, ascetae enim ab his mirum quantum differunt, quippe qui in ciuitatibus degere poterant, cum illis tantum in cellulis quibusdam in solitudine, non vero in urbibus, vitam agere liceret; ascetae tam ex Laicis quam ex Clericis erant, cum monachi ex primo instituto non nisi Laici esse deberent; isti non nisi legibus euangelii et ecclesiae erant adstricti, cum hi praeter illas proprias quoque sibi latas haberent. Calamitates vero Christianis ab imperatoribus illatae huic vitae monasticae ansam praebuerunt. Tempore praesertim persecutionis Decianae, quae circa medium seculi tertii initium cepit, multi homines illam euitaturi in proxima loca deserta solitudinesque procul e conspectu aliorum confugerunt, atque ibi cellulis quibusdam inclusi vitam pie transegerunt. Multis deinde haec vita tam iucunda fuit, ut, cum in eos desistere desitum esset, in vrbes ex solitudine redire recusarint. Primi, qui nominis claritatem inter illos sunt adepti, fuerunt duo Aegyptii, Paulus et Antonius, quorum priorem Hieronymus huius vitae auctorem, posteriorem vero illustratorem vocat p). Nulla vero monasteria adhucdum erant exstructa, neque vlla obtinebat hominum hanc vitam ingredientium communitas, sed pauci tantum homines in desertis dispersi vivebant, quorum quilibet propriam suam habebat cellulam. Pachomius deinde, imperante Constantino M. rebus omnibus tranquillis, et restituta Christianis omni securitate, quaedam coenobia Thebaide Aegypti exstruenda curauit, id quod



quod ex eiusdem actis q) constat, quae Papebrochius conscripsit, ubi ex scripto quodam antiquo de Pachonii actis locum quemdam allegavit, ubi Auctor Antonium vitae monasticæ diuersa genera conferentem sequenti sermone usum facit: Quo ego primum tempore monachum coepi agere, nullum usquam exstabat coenobium, in quo de aliorum salute cura aut metus cuiquam erat, sed quisque antiquorum monachorum, persecutione iam finita, priuatim in vita sese monastica exercebat. Postea vero pater vester (Sachaeum alloquitur, Pachonii discipulum) tantum bonum, Deo adiunante, effecit. In Palaestina s. Syria primus monachorum fuit Hilarion, qui ex Antonii schola defluserat, quod testatur Hieronymus r) atque in Armenia, Paphlagonia et Ponto Eustathius, Sebastiae episcopus, id quod refert Sozomenus s). Postea etiam in Italia, referente Baronio, monasteria sunt fundata, Athanasio auctore, exemplum ipsius imitantibus Martino, ecclesiae Turonicae episcopo in Gallia, et ex quorundam sententia Pelagio in Britannia. Primi eorum vel speluncas, vti monachi montis Casii prope Antiochiam, vel tentoriola inhabitauerunt, quae Euagrio *ανιστοι*, Chrysofomo vero *σκυτοι* dicuntur. Hi vero communi nomine anachoretæ vocati sunt. Si plures in eadem solitudine, separati tamen, viuerent, laura dicebantur. Deinde vero coenobia ortum traxerunt, quo nimirum plures monachorum confluerunt, vt in commune viuerent, vnde etiam vox *κοινόβιον* orta est, quippe quae a *κοινός communis* et *βίος* vita deriuanda, vt reliquorum ordinum, Sarabaytarum nimirum, qui ab ipso Hieronymo pestis ecclesiae dicuntur, atque Stilitarum, quorum numerus haud magnus erat, et secularium, qui ab ascetis antiquis parum eiant diuersi, mentionem non iniiciam. Monachi vero Benedictini a Benedicto, celebri quodam monacho in Italia, ita vocati, qui ordinem hunc



hunc primus instituit anno circiter DXXX. reliquos numero longissime superarunt, quibus ordines quoque, qui hodie adhuc inter Pontificios florent, plerique originem suam debent. Nobis vero praecipue inquirendum erit, quae qualisue fuerit illorum fraternitas. Constitit nimirum in coniunctione ipsorum ad Deo cultum praebendum, atque ad exercitium virtutum eo rigorosius obseruandum. Praefertim vero perpetua inter eos esse debebat poenitentia et luctus, quam ob causam Hieronymus vitam monachi *vitam plangentis* dicit *r*). Tum etiam extraordinaria ieiunia ipsis obseruanda erant, vt eo aptiores essent ad Deo cultum exhibendum. Ieiunabant vero quotidie vsque ad horam nonam s. tertiam pomeridianam, exceptis diebus sabbatis, dominicis, atque quinquaginta diebus pentecostes, aliisque, quibus frater alienus eos conueniebat. Alii quidem etiam tres, quatuor vel quinque integros dies ieiunarunt, quamuis non approbantibus reliquis, cum ipse Hieronymus *v*) atque Cassianus *u*) talia ieiunia aspernentur. Praeterea quoque ad extraordinaria sacra frequentanda obligati erant. Totum diem religiose transigere ipsos oportebat, et horas canonicas, quae numero in Palaestina quinque erant, si non omnes, duas saltem, matutinam puta et vespertinam, frequentare. Precationibus dicatae horae fuerunt prima, tertia, sexta, nona et vndecima. Nocturnos quoque habebant conuentus siue vigilias. Nonnulli preces inter se continuo instituebant noctes diesque, vt Constantinopolitani monachi seculo quinto, inter quos Alexander ordinem instituit, cuius membra in tres abierunt partes, quarum vna semper hora constituta precata est, hanc secunda, illam tertia excepit, ne vllum temporis spatiolum vacaret. Ad huius exemplum deinde multa constituta sunt coenobia, quo pertinet Lexouienſe a Columbano in Norman-

E

nia



nia fundatum. Hi omnes eam ob causam ἀκόλυτοι s. infomes dicebantur. Reliquum tempus quoque, quod ceteris a laboribus restabat, meditationibus sacris sacrique codicis lectioni dabant, ita ut quidam etiam eorum ad verbum ediscerent omnes sacras litteras. Hieronymus hanc vitam multis laudibus efferens, atque quietum horum hominum secessum Bethlehemo comparans, affirmat, *ibi extra psalmos silentium esse, quocunque se quis vertat, aratorem suam tenentem Alleluia decantare, sudantem messorem psalmis se auocare, et curua attendentem falce vinitorem aliquid Davidicum canere x*). In quibusdam locis in conuiuiis quoque sacram scripturam praelegere consueuerunt, ne inanibus triuolisque confabulationibus tempus in cassum tenerent. Haec fere erant, quibus se monachorum fraternitas exseruit. Pertinet huc quoque spontaneum paupertatis votum, quod susceperant, quo rebus terrestribus nuntium remitterent. Quidam facultates suas vendentes pauperibus erogabant, alii vero easdem reseruabant hospitibus excipiendis, atque quorundam monachorum paupertati subueniendae, quale viuendi genus posterior Pasladius τὸν νοματικὸν βίον vocat y). Manu vero sibi illa, quae ad vitam propagandam necessaria essent, parabant, neque vlli permisum erat, plura possidere, quam quod in diem ipsi sufficeret, neque propria sibi quaedam dicere, cum omnia essent communia, neque mendicare, neque dono quidquam accipere, nisi pauperibus distribuendum. Praefecti ipsis erant abbates s. patres, hegumeni s. praesides, archimandrita a mandra, quoniam ipsis gregis custodia esset concredita, ut et centenarii, qui centum, et decani, qui decem monachis erant praepositi. Eadem fere quoque erat ratio virginum monialium, de quibus nominatiorum, confororum atque sororitarum. Plura hac de re inueniri possunt in Binghami originibus ecclesiasticis z). In maximum



num vero tempore insecuto cessit ab usum, quod alios extra coenobia viuentes hoc nomine dignos non habuerint, cum tamen fraternitas Christiana vitae cuidam singulari atque monasticae non sit adstricta, hocque ab usu apostolorum penitus sit alienum. Digna sunt, quae hic allegentur, quae hac de re Erasmus habet: *Fratrum amabile nomen, quod olim erat omnium Christianorum commune, nunc usurpatione et ad paucos contractum est, et pene pro honorifico factum est contumeliosum. Iudaei sui generis et gentis homines tantum fratres appellabant, ceteros non dignabantur eodem titulo. At Paulus ceterique apostoli dilatarunt hanc appellationem caritatis et honoris ad omnium nationum homines Christi religionem professos. Non reprehendo, quod monachi se inuicem fratres appellant. Ceterum, quod alios non dignantur eodem titulo, id fortasse non vacat crimine, cum omnis Christianus Christo sit frater, et inter omnes oporteat esse toties ab apostolo praedicatam Philadelpheo. Quominus probandi sunt, qui factitiis sodalitiis foederati se mutuo fratres appellant a).* Hoc modo usus nominis fratrum sororumque in ecclesia Christiana limitibus angustioribus est circumscriptus.

p) epist. XXII. ad Eustach. Cap. XVI. q) in achis Paeliomii cap. LXXXVII. apud Papebrochium die XIV. Maii. r) in vita Hilarionis cap. XI. s) in lib. III. cap. XIV. t) in epist. LIII. ad Ripar. u) in epist. IV. ad Rullic. (tom. I. p. 30. h. edit. Francof. MDCLXXXIV.) et epist. VII. ad Laetam (p. 37. d.) w) institut. lib. V. cap. IX. x) in epist. XVIII. ad Marcell. pag. 84. g. edit. Francofurt. y) in histor. Lausac. cap. XV. (tom. II. biblioth. patr. graec. lat.) z) Part. I. Vol. III. pag. 1. fegq. a) libr. III. Ecclesiast.

## §. XXII.

## De Fratricellis.

Praeter fraternitates monachorum, de quibus paucis iam differuimus, consideranda adhuc veniunt quaedam recentiores sectae, quae usum nominis huius denuo introducere voluerunt. Omnium primi nominandi Fratricelli, quippe qui Sec. XIII. orti sunt cum Iubilaco, quod pontifex Romanus, Bonifacius VIII. indixerat. Cum pauca sint, quae de his certa et

E 2

explo-



explorata habeamus, vitio temporum illorum, ea tantummodo hic proferemus, quae vel probabiliter vel cum aliqua saltem certitudine dici possunt. Suborti vero sunt hi homines in Lombardia, monachi ordinis Francisci, atque reprehenderunt acerrime grauiissimos abusus Romanae ecclesiae, praefertim vero imperium, quod sibi arrogauerat propria auctoritate pontifex Romanus in totam ecclesiam Christianam, id quod ex Pauli Aemilij historia Francica patet. Quod si vero ad vitam eorum respicimus, maximae impuritatis et venereae accusantur voluptatis, si historiarum monumentis, quae ex illis temporibus nobis supersunt, credere fas est. Nomine fratrum atque sororum inter se, nullo personarum discrimine habito, utebantur, atque contemptus causa probabiliter nomen diminutium Fratricellorum ipsis impositum est, sicuti germanice quoque eandem ob rationem *Noll-Briider* sunt dicti *b*). De discrimine nominum Fratricellorum, Fraticellorum atque Fraterculorum, quae omnia ipsis tributa sunt, certum quid affirmari nequit, quanquam sint, qui haec nomina varias hominum religiosorum sectas indicare arbitrentur. Clemens V. qui paulo post Bonifacium VIII. dignitatem consecutus est pontificis Romani, contra illos concilium conscripsit in Gallia, (quanam in vrbe, non liquet) in quo quidem concilio contra eos decretum est, vt illos ad internecionem persequerentur, et captos grauiissimo mactarent supplicio, id quod etiam fere euenit. Igne enim ferroque extirpare illos coeperunt, ipse pontifex Romanus exercitum contra illos misit, qui eos in Alpibus, in quos se coniecerant, partim fame atque frigore, partim vero armis opprimeret. Duo ex iis, Dulcinius nempe et Margarita, capti, membratim dilacerati, deinde vero combusti, cinisque eorum in aërem proiectus. Innotuerunt iisdem ferme temporibus *Flagellantes*, qui eodem quoque inter



inter se vñ sunt nomine, atque coetum suum *fraternitatem* vocarunt, quae denominatio etiam in scriptis, quae nobis ex illis temporibus residua sunt, passim occurrit de ipsis adhibita, e. g. Albertus Argentinensis de his hominibus loquens dicit: *Ingressi sunt fraternitatem eorum humillime centum et amplius.* c) Hi homines, quamvis ab ecclesia Romana nunquam se separauerint, in societatem tamen coiuerunt, vt eo melius seueriori disciplinae operam nauarent, quod vel nomen eorum indicat.

b) Vid. Micrelli Syntagen. Hist. Eccl. lib. III. pag. 187.

e) in Chronico ad Annum MCCCXLVIII.

§. XXIII.

*de fratribus Bohemicis.*

Inter alias fraternitates praecipue fratres Bohemici Sec. XV. et XVI. nominis claritate prae reliquis conspicui sunt, Sec. XV. rector quidam academiae Pragensis, Iohannes Hussius, ab Hieronymo Pragensi acceperat scripta Wiclefi, qui Oxoniae in Anglia vixerat, atque in abusus Romanae ecclesiae maxime inuectus erat. Hussius ex his scriptis de maxima corruptione ecclesiae Romanae conuictus noluit amplius cum Pontificiis ad sacram mensam accedere, sed seorsim in aede priuata diuitis cuiusdam ciuis, Bethlehem dicta docere coepit, vnde, qui ab eius partibus steterunt, nomen Bethlehemitarum sortiti sunt. Communionem sub vna, quam vocant, specie, reiecit, pontificem Romanum caput orbis Christiani, vicarium Christi et successorem Petri esse negauit, et vitam obscenam Clericorum vehementer et iuste reprehendit. Ipse in concilium Constantiense vocatus sententias suas defendit, quam obcausam ipse crudelissime igne vita est priuatus. Multi iam tunc temporis cum illo faciebant, quorum numerus in dies mirum in modum



accrevit. Iſtis iterum Anno Chriſti MCCCCXXXIII. in concilium Baſileenſe vocatis communio ſub vtraque conceſſa eſt, dummodo uſum calicis pro te haberent, quam adhibere rectum, intermittere vero nefas non eſſet, quo multi inducti ad Romanorum partes redierunt, multi vero Huſſitarum nomen retinentes Huſſiticae doctrinae moribusque non reſponderunt. Interea tamen ſemper quidam fuerunt, qui doctrinam ſacrae ſcripturae ab omnibus humanis acceſſionibus puram incorruptamque conſeruare operam nauarunt, qui deinde ſe Waldenſibus ex Gallia eiectis adiuncturi fuiffent, niſi hi iterum ex prouinciis Auſtriacis proſtigati per totum orbem terrarum diſperſi eſſent. Huſſitis quoque ipſis multae inſiſtente ſunt calamitates, quibus tamen nunquam penitus extirpari potuerunt. Quiquidem nomen fratrum atque ſororum inter ſe denuo introduxerunt, vnde etiam communi nomine ſe vocarunt fratres Bohemicos, vt a Calixtinis, qui Huſſitas ſe vocabant ab Huſſii moribus proſus tamen alieni, ſe diſtinguerent, et vt monito Pauli morem gererent, qui prohibet, ne ab homine nomen ducerent, quoniam omnes Chriſti eſſent, quam ob rem nomen Huſſitarum adhibere noluerunt. Libris vero ſi nomina eſſent ſubiungenda, *fratres legis ſ. regulae Chriſti* ſe nominabant, quoniam lex Chriſti ipſis vnica erat norma vnionem eorum conſeruans, atque ſi omnia, quae docebant, cum hac conſentiebant, harmoniam doctrinae efficiens. Totumque coetum eorum, qui cum ipſis idem ſentiebant, *unitatem* vocabant *fraternam*. (d) Laude iam inſigniter hos homines extulit Lutherus in ſcripto germanico ad eos dato anno MDXXXII. (e) vbi fatetur, nullam hucusque eccleſiam apoſtolicae ita ſimilem fuiſſe, quam eccleſiam fratrum Bohemicorum, ipſe que optat, vt idem conſenſus in doctrinis, ſanctitas in moribus



bus, atque in omnibus rebus fraterna communio reformatione potuisset restaurari in ecclesia nostra, Erasmius quoque de fratribus Bohemicis sequentia scribit: *Quod se invicem fratres atque sorores appellant, non video, cur reprehendi debeat, atque vitanam eadem appellatio mutua caritatis perseveret apud Christianos.* (f) Haec sunt paucis de hisce fratribus notanda. Notis temporibus secta quaedam, Herrenhutianos puta, duce atque autore Illustr. Comitæ a Zinzendorff suborta est, quae in omnium fere ore versatur, quae iudem nomen fratrum Bohemicorum mentitur. Non enim originem suam ab iis traxerunt, et maxima inter ipsos et antiquiores fratres Bohemicos intercedit dissimilitudo. Haec cum scriptis eruditissimorum virorum optime sint illustrata, qui satis luculenter commonstrarunt, quid monstri alant huius sectae principes, et quod hoc nomine pessime abutantur, resque in vulgus nota sit, ulteriori verborum ambage iure nostro supersedere possumus.

d) Confer hac de re libros a fratribus Bohemicis ipsis editos, vt: *Kirchen-Ordnung der vereinigten Böhmischen Bruderschaft Königsberg 1711.*

e) Invenitur hoc scriptum in Tom. II. tenent. operum Lutheri pag. 220.

f) in epistola ad Ioannem Schlechtam.

### §. XXIII.

#### *de fraternitatibus Socinianorum et Fanaticorum.*

Aliam sancire fraternitatem coeperunt Sociniani, quippe qui a doctrina sacrae scripturae recedentes arctiorem inter se iniuerant communionem. Sedes eorum praecipua initio fuit Racouii in Polonia, quo se contulerat Faustus Socinus, qui ex scriptis patruelis sui, Laelii Socini, omnes imbiberat errores, quos deinde defendit mordicitus, cum in Italia se tutum non crederet. Grauia vero ac innumera mala, quae ipsis ab ecclesia Romana in Polonia illata sunt, ipsos Poloniam deserere coegerunt, quo facto, ipsi in Hungari-

am,



am, Transilvaniam, Germaniam, Angliam et Belgium confugere. Interea a prima sua sede nomen sortiti sunt *fratrum Polonorum*, quam ob rem etiam opera quorundam Socinianorum Irenopoli, i. e. Amstelodamo sub isto titulo in lucem prodierunt: *Bibliotheca fratrum Polonorum, quos unitarios vocant*. Nulla alia vero inter eos est communio, quam quod ad eandem ecclesiam pertineant, eosdemque defendant errores. Moneri quaedam iam possent de *fratribus roseae crucis*, dummodo satis euidum esset, existerintne unquam homines, qui hoc nomine venerint. Nostrum iam non est, inquirere in veritatem aut falsitatem illius, quod de his hominibus fertur. Omnia vero, quae hac in re dicere possumus, sunt, quod multa scripta apparuerint nomine fratrum roseae crucis fanaticis referta doctrinis, quae ab aliis quoque huius furfuris hominibus hoc nomine edita esse possunt. Varia a variis auctoribus determinantur tempora, quibus floruerint, varii quoque eiusdem sectae auctores *g*). Nec defuerunt inter fanaticos, qui fraternitates denuo instaurare susceperunt, quamvis multi minus felici successu et modo maxime illicito id egerint. Principes inter hos nomino Anabaptistas, quorum secta circa tempora reformationis orta est, ducibus Nicolao Storchio et Thoma Müntzero. Improbantur vero reformationem a Lutero susceptam, eam nondum sufficere asserentes, cum externa tantummodo quaerant emendare Theologi, interna vero profus intacta relinquunt. Ecclesiam ab omnibus impiis puram desiderabant, statuentes, neminem in sacrorum communione cum aliis permanere posse, salva conscientia, ubi impii admitterentur, nullam enim dari ecclesiam, ubi sint impii, quantumvis ipse Christus asserat, lolia triticis interspersa ante messem s. ante consummationem omnium rerum, sicu-



sicuti ipse illud explicat, eradicari non posse Matth. XIII. 24-30. 36-43. Non nisi cum fratribus viuere voluerunt, atque communionem bonorum maxime necessariam duxerunt. Monasterienses praecipue hoc vehementer vserunt, multaque egerunt, quae rebellionis atroci crimini magis similia fuerunt quam reformationi. Magistratus enim Monasterienses dignitate honoribusque priuarunt, templa destruxerunt, communionem bonorum et polygamiam introduxerunt, nouam quamdam rem publicam Christianam constituere animum inducentes. Nomine se vocarunt *fratrum caritatis*, atque etiam nomine fratrum semper se inuicem, tanquam membra nouae illius rei publicae, compellauerunt, secta quoque peculiaris eorundem *familiae caritatis* nomen sibi vindicauit, quia se in continuo amoris exercitio esse gloriati sunt, quamuis alii putent, ipsos hoc praetextentes multis indulgisse sceleribus. Iidem et communi nomine Familistarum venerunt. Quod si vero ad progressum huius sectae animum aduertimus, multa a recentioribus Anabaptistis reprobari videmus ab antiquis recepta. Menno Simonis, ex Frisia in Belgio oriundus, emendatione huius sectae praecipue nomen adeptus est, a quo etiam nomen Mennonitarum sortiti sunt. Non approbant facinora ab antiquis commissa, magistratibus obedire non recusantes, neque communionem bonorum inter se habent, nec polygamiam permittunt, communionem bonorum rei publicae magis noxiam quam vtilem esse, bene perspectum habentes *h*). Inter omnes vero maxime Theosophi sic dicti fraternitati denuo instaurandae operam nauarunt. De Quakeris, qui in Anglia orti sunt, constat, quod rem publicam Christianam, in qua non nisi fratres essent, instituere voluerint, quam ob causam ipsis rex Iacobus II. Pensyluaniam in America rei publicae illorum instituendae definiuit, quam felici vero successu id egerint



egerint, euentus docuit, cum maximae inter fratres hos motae sint lites atque discordiae, quas praecique ex re publica Christiana proscribendas voluerunt. Anabaptistis et Quakeris quodammodo quoque adiungendi sunt Labadistae ab auctore huius sectae, Ioanne de la Badie ita dicti, qui eandem fere coniunctionem fraternam et communionem bonorum omni cogitatione desiderarunt. In Germania Seculo XVII. et illo, qui nunc agitur, innotuerunt quoque fratres angelici (*Engels-Brüder*) et sorores angelicae (*Engels-Schwester*) siue Gichteliani, quorum secta originem suam debet Ioh. Georg. Gichtelio in plerisque Iacobum Boehmum, sutorem Gorlicensem secuto, cuius scripta quoque ipsis libris diuinitus inspiratis longe praetulit. In omnibus hi homines eo potissimum contenderunt omnibus viribus, vt ad angelorum accederent similitudinem, quam ob rationem laborem quam maxime fugerunt, quoniam angeli non laborant, neque ab aliis aliquid corrogitarunt, et famem perferre maluerunt, quam ab aliis aliquid sibi expetere, neque matrimonium iniuerunt, quoniam hoc inter angelos fieri non potest, singulari sanctitati studentes, vt etiam se aliorum peccata in se suscipere atque coram Deo expiare posse sibi fingerent; ad quae quidem omnia obseruanda communionem inibant fraternam. Fratres quoque se vocant Inspirati, qui internum lumen atque diuinam, nescio quam, reuelationem et inspirationem se habere gloriantur. Cum enim eadem se coniunctos esse putent gratia supernaturali et miraculosa, fratres sibi inuicem se esse autumant. Quae cum exempla imitanda non sint, paucis tantummodo vsus huius nominis a sectis quibusdam fanaticis restauratus indigitandus fuit.

g) Probabile reddere quidam fategerunt, fuisse tantummodo hanc historiam fabulam, quae initio pro vero vendita sit multis, qui verum a falso haud dignoscere valent, animorum eorumdem explorandorum gratia, de quo vide Gothofre-



thofredi Arnoldi Kirchen- und Ketzler-Historie part. II. Lib. 17. c. 13. et Walchii Einleitung in die Religions-Streitigkeiten auſſer unſerer Kirche part. I. c. VI. §. XV. pag. 649. *b)* Quid de communione bonorum iudicauerint antiqui Ana-baptiſtae, praecipue ex actis colloquii Francodaliensis conſtat, quae anno MDLXXI. Heidelbergae edita ſunt, ac titulum habent: Alle Handlung des Geſprächs zu Franckenthal mit denen, ſo man Wiedertäufer nennet.

## §. XXV.

*Vnde hic vsus nominis fratrum ſit deriuandus.*

Imitati ſunt huius nominis vsu ſectae recentiores prima euam eccleſiam, in qua vero vsus iſte non eſt deriuandus ex conſuetudine Iudaica, quippe qua plerique ſe vocaſſent fratres ſine rationibus, neque ex ethnicismo, quippe quem non ſolum non imitati, verum etiam illud, quod ſpeciem tantum imitationis praefeſſe poterit, longa animi praecuiſione fugerunt. Deriuandus igitur potius erit ex vsu ſacrae ſcripturae atque ex rationibus ab interno omnium cum Chriſto iunctorum hominum ſtatu deſumptis. Haſ igitur rationes vt accuratius ſcrutemur, eo magis neceſſarium eſt, quo maior iis lux toti noſtrae tractationi affundetur.

## §. XXVI.

*Indoles huius fraternitatis.*

Vt vero propius ad rem ipſam accedamus, vera huius fraternitatis indoles penitus inueſtiganda eſt. Conſiſtit autem fraternitas Chriſtianorum in arcuſſima hominum cum Deo vnitorum coniunctione, qua eundem patrem agnoſcunt, iisdem beneficiis priuilegiisque gaudentes, eidem eccleſiae inuiſibili adſcripti, ac ad eadem officia praefanda tenentur. Luculentiffime ex hoc patet, nobis de nulla alia coniunctione ſermonem eſſe, quam quae regenitos ſeu homines cum Deo coniunctos intercedit. Quilibet igitur videt, nos, ſi de fraternitate Chriſtianorum loquimur, non per Chriſtianos in vniuerſum omnes, qui hoc nomine communiter veniunt, intelligere, ſed ſpeciatim illos, qui non ſolum Chriſtiani vocantur, verum etiam vitam agunt, quae regulis ſanctiſſimis doctrinae Chriſtianae at-



que sacrae scripturae ex asse respondet. Porro exinde cullibet constat, hos homines quamdam constituere societatem, non vero externam, nec sensus ferientem, sed potius inuisibilem quamdam, adeoque de ecclesia, quam dicunt, inuisibili nobis est sermo; ex quo iterum videre est, non tollere hanc societatem reliquas societates externas, quippe quae cum illa optime consistere possunt, quid? quod per illam magis stabiliantur. Fraternitatis igitur nomine complectimur non solum quosdam homines in Christum vere credentes, sed potius ad vnum omnes cum Christo coniunctos, quippe qui ecclesiam, quam dicunt, inuisibilem constituunt, quibus vel in hoc terrarum orbe continuo cum inimicis est debellandum, quocumque locorum et in quacunque regione id fiat, vel qui iam in coelesti illa vita gloria ac felicitate victoriis parta quam iucundissime perfruuntur. Omnes isti fratres sororesque dici possunt, quamuis membra ecclesiae triumphantis maximas prae militantibus habeant praerogatiuas, atque etiam ad quaedam officia, quae Christo fidelibus in terra adhuc viuentibus incumbunt, non amplius sint adstricti. Nec necessario requiritur ad hanc fraternitatem, vt iisdem sacris sint initiati. Potest enim aliquis ignorantia in ecclesia viuere falsam proficiente doctrinam, et nihilo minus fraternitati Christianae accensendus esse. E contrario vero etiam non omnes, qui in ecclesia orthodoxa sunt, eam ob causam his fratribus sunt annumerandi. Societas igitur externa sacrorum non est confundenda cum fraternitate Christiana. Patet denique exinde, nulla alia re quemdam posse ab hac societate diuelli, nisi ipse a Deo peccatorum lenociniis inductus deficiat. Fide enim, tanquam firmissimo talo, haec coniunctio nititur. Nulla igitur sententiarum et opinionum dissensio in rebus, quae ad salutis fundamentum non pertinent, nulla quoque mutatio status externi hanc coniunctionem dissoluere valet. §. XXVII.



## §. XXVII.

*In regeneratione deprehenditur huius fraternitatis ratio.*

Iam vero videamus, quomodo et qua ratione haec coniunctio facta sit, atque nostram descriptionem, quam de fraternitate suppeditauimus, sigillatim pertractemus, ex quo simul rationes huius denominationis emergent. Coniungitur vero aliquis cum reliquis in Christum vere credentibus, quando in Dei communionem admittitur. Ob illam enim omnes fideles sunt filii vnus eiusdemque parentis, sponsae vnus sponsi, vxores vnus mariti, membra in vno capite, palmites in vna vite, lapides vnus aedificii, cuius lapis angularis Christus est 1. Ioh. III. 1. 2. Hof. II. 19. 20. 2. Cor. XI. 2. Rom. XII. 5. Eph. III. 15. 16. Ioh. XV. 5. 1. Petr. II. 4-8. Eph. II. 20-22. Coniunctio vero haec cum Deo non nisi in regeneratione fieri potest, quippe in qua homines a Deo natura alieni atque inimico in illum animo praediti, in filios Dei denuo adoptantur, ac ab ipso per verbum veritatis generati redeunt apud ipsum in gratiam Iac. I. 18. 1. Petr. I. 23. Cum autem coniungantur cum vno isto tertio, Deo nimirum, eodem inter se connectuntur vinculo quam arctissimo; ex regeneratione igitur petenda est ratio huius coniunctionis Christo deditorum inter se inuicem siue huius fraternitatis.

## §. XXVIII.

*Prima ratio est communis ab eodem parente ortus.*

In fraternitate germana praecipuum est communis ab iisdem parentibus ortus. Idem quoque in fraternitate Christiana praecipuum sit necesse est, quod eodem patre, Deo, vtantur (§. XXVII.). Deus quidem in sacris litteris saepius omnium quoque in vniuersum hominum pater vocatur, eo quod eorum est creator conseruatorque. Idem in regenitos quadrat, quapropter etiam hoc nomine pater est omnium regenitorum, qui ex eodem capite et omnium hominum sunt fratres (§. V.).



Quam vero naturalem coniunctionem hoc loco missam iure nostro facimus, quoniam de plane diuersa fraternitate differimus (§. XXVI.), quae alio prorsus nititur fundamento, noua nimirum generatione atque diuina (§. XXVII.). Haec enim ipsa Deum O. M. habet auctorem, a quo homines nouam atque diuinam accipiunt vitam, postquam illos a morte spiritali gratia coelesti reuocauit, vnde propius ad ipsius accedunt similitudinem, restituta eiusdem imagine, quam omnes peccatorum lenociniis decepti amiserant. In Christi locum regeneriti succedunt, dum merito eiusdem saluantur, qui cum sit filius Dei, ipsis etiam ius, vt filii Dei fieri possint, concedit, quod vita sua lubentissime profusa redemit *i*). Sunt igitur omnes regeneriti filii Dei. Cum vero filii vnus parentis fratres dicantur, quid obstat, quo minus etiam omnes regeneriti fratres inter se vocentur? Haec quoque fuit prima omnium et grauissima ratio, ob quam Christiani ecclesiae antiquae fratres se inuicem appellitarunt, quod testantur Tertullianus *k*), Ambrosius *l*), et Hieronymus *m*). Quam ob causam etiam saepius se inuicem ἀδελφούς ἐν κυρίῳ Phil. I. 14. κατὰ θεόν, ἐν κυρίῳ τῷ πατρὶ, appellant. Nec enim aliam ipse optimus noster seruator rationem vsus nominis fratrum reddit, nisi quod vnum habeant patrem Matth. XXIII. 8. 9. et dum eos precari docet, Deum patrem nostrum vocare iubet. Cum ipse quoque discipulos fratres suos dixerit, statim rationem huius fraternitatis addit, dum Deum suum ipsorumque dicit patrem Ioh. XX. 17, Quilibet igitur facili negotio videt, fraternitatem respicere communem omnium originem, vnde nouo constringuntur vinculo regeneriti, quod nempe eodem amore diuino omnes fruuntur 1. Ioh. 7-12. 16. 19.

*i*) Vide Praefidis summe Venerabilis Theologiam moralem §. 86. vbi plura hac de re, praesertim in nota, deprehenduntur. *k*) in Apologet: cap. XXXIX. *l*) in fecm. XXXIII. *m*) in Comment. in Matthaicum.



## §. XXVIII.

*Secunda, eadem mater, ecclesia.*

Plures huius denominationis causas allaturi secundum iure meritoque putamus, quod eadem ecclesia, tanquam matre, utantur, quo quidem nomine ecclesiam antiquitus iam dignam habitam videmus. Quae cum Christo desponsata dicitur coelesti quadam ratione, immo cum ipsa eius vxor nunquam audiat Ps. XLV. 10. Cant. IV. 8. seqq. Apoc. XIX. 7. de illa certe adfirmari poterit, quod filios ipsi enixa sit, quos verbo sacramentisque alat, quare primi Christiani sibi maximo honori duxerunt, filii almae huius matris, ecclesiae, vocari, de quo dicit Cyprianus: *Non habere potest Deum in coelis patrem, qui non habuerit in terris ecclesiam matrem* <sup>n</sup>) et Epiphanius vera ecclesiae membra describens, vrget, *δείναι τὰ τῆς ἁγίας παρθένου, μητέρας, τῆς ἐκκλησίας, τέκνα σέμνα ὑπάρχεν ο*). De ecclesia visibili hoc quidem intellectum nollem, quamuis quaedam loca ex scriptis patrum ad illam respicere videantur, dum de fraternitate vere in Christum credentium sermo est. Alias enim omnes homines, qui veram profitentur religionem, fratres Christo fidelium essent, in illo sensu: quo nos hanc vocem accipimus, adeoque Dei essent filii, id quod vero dici omnino non posse, quis est, qui non videat? Inuisibilis igitur ecclesia solummodo, tanquam communis mater, rationem huius fraternitatis continet, et omnia eiusdem membra, sunt fratres, quamcumque quoque ore profiteantur religionem. Iniuste igitur ecclesia Pontificia sibi soli hoc nomen matris vindicat. Nulla enim ecclesia specialis se matrem, qualem nos volumus, dicere potest, cum negari non possit, etiam in aliis dari membra ecclesiae inuisibilis. Desumpta vero haec denominatio videtur ex Gal. III. 26. vbi etiam Hierosolyma superior s. ecclesia inuisibilis mater dicitur omnium fidelium. En nouam rationem, vade traxerunt fratrum fororumque appellationem.

n) epist



n) epist. LXXIV. et cap. V. de unitate ecclesiae, o) de haeresibus lib. vlt. Vid. quoque Optatus lib IV. contra Parmenianum.

## §. XXX.

*Tertia, idem verbum diuinum.*

Si ulterius progredimur in consideranda coniunctione omnium cum Christo vnitorum, videmus, ipsos iisdem vti mediis gratiae, verbo Dei puta et sacramentis, quae Deus ipsis ad promouendam salutem ipsorum constituit. Verbo Dei omnes veri Christiani regeneriti sunt, vnde semen etiam dicitur incorruptibile, 1. Petr. I. 23. Vtitur illo spiritus sanctus ordinarie in omnibus suis operationibus, ac nemo sine illo regenerari potest. Nec enim Deus sine illo distincte ita cognosci potest, vt simul, qua via ad illum redeundum, cognoscatur. Eandem igitur obtinent ex verbo diuino mysteriorum diuinorum et reliquarum veritatum cognitionem. Non enim possunt non consentire in iis veritatibus, quae ad fundamentum salutis pertinent, cum ii, qui de fundamento salutis falla propugnant, non veris fratribus annumerari possint, vt pote qui alium sibi fingunt ordinem salutis, qui eos non ad coniunctionem cum Deo, et proinde neque ad communionem cum reliquis regeneritis perducere potest. Consensus igitur quoque in doctrinis, quae fundamentum constituunt salutis, est ratio huius denominationis. In duas vero verbum Dei diuisum est partes, legem et Euangelium. Priori omnibus eadem norma vitae et actionum praescripta est, Euangelio vero omnibus eadem vires ad ea, quae lex exigit, adimplenda exhibentur; vitam igitur omnes agunt aequalem. In Euangelio ipsis datae sunt eadem promissiones, ex quibus eadem ipsis expectanda sunt bona. Diuersimode tamen pro hominum diuersitate inseruire potest hoc beneficium fidelibus concessum. Inseruit enim et nutriendis infirmis et confirmandis magis magisque iis, qui iam maiores consen-



Ascenderunt perfectionis gradus. Lac eam ob causam dicitur praeberere imperitis et cibum fortioerem magis exercitatis. Interea tamen idem cibus manet, eodem verbo Dei nutriuntur infirmi et corroborantur perfectiores, adeoque fratres tamen omnes manent, quamvis quidam maiorem habere possint fructum ex lacte hoc alibili, sicuti etiam inter homines illi fratres sunt, qui maiora beneficia a parentibus recipere possunt, eorum, qui tantummodo minorum beneficiorum capaces sunt, cum tamen eadem vtrisque sit educatio. Patres ecclesiae antiquae hoc verbum diuinum tanquam testamentum confiderarunt, quo omnibus eadem bona sint legata, vt Augustinus: *Fratres sumus, inquit, quare litigamus? Non intestatus mortuus est pater, fecit testamentum -- Sedet Christus in coelo, et contradicitur testamentum eius? Aperi, legamus, fratres sumus, quare contendimus? Placetur animus noster, non sine testamento nos dimisit pater q): et Optatus Mileuitanus: Quomodo terrenus pater, dum se in confinio senserit mortis, timens, ne post mortem suam rupta pace litigent fratres, adhibitis testibus, voluntatem suam de pectore morituro transfert in tabulas diudicaturus. Et si fuerit inter fratres contentio, non itur ad tumultum, sed quaeritur testamentum. Ergo sicut in testamento voluntas eius, sic in euangelio quaeratur r).*

q) in commentario in Ps. XXI. r) in lib. V. contra Parmenianum.

#### §. XXXI.

##### *Quarta, communis sacramentorum usus.*

Aliud, quod fideles arctius coniungit, medium regenerationis est sacramentum baptismi. Λούτρον πατρῴγενεσις illud a Paulo dicitur Tit. III. 5. Infantes enim illo a Deo regenerantur, et cum ipso arctissime coniunguntur, qua coniunctione reliquorum etiam regeneratorum fratres fiunt. Adulti vero per semen illud incorruptibile, verbum puta diuinum, regenerati magis magisque hoc lauacro confirmantur, et cum Deo

G

reli-



reliquisque ecclesiae inuisibilis membris arctius copulantur. Quam ob rem Paulus Christo fideles vno spiritu in vnum corpus baptizatos esse dicit 1. Cor. XII. 13. et vnum baptismum quo omnes initiati sunt, ad vnitatem spiritus refert Eph. III. 5. Vnum enim eundemque spiritum sanctum omnes in baptismo acceperunt, qui omnes gubernat, atque ad se inuicem amandos et vnitatem spiritus conseruandam impellit. Neque hic baptismus in coetibus sacris diuersa sentientibus adhibitus vi sua destituitur, si modo diuino praecepto conuenienter eodem sit tinctus. Neutiquam vero ex hoc sequitur, omnes illos, qui sine propria culpa baptizari nequeunt, a fraternitate Christiana penitus esse excludendos, cum Deus ea, quae desunt, alio modo supplere, eundemque spiritum, quo baptizatos gubernat, ipsis impertire possit, vt coniunctio fraterna nihilo secius obtineatur. Alterum sacramentum confirmationis est sacramentum sacrae coenae, quippe quo vinculum fraternitatis inter Christianos veros arctius constringitur. Vno enim corpore eodemque sanguine potiuntur, id quod Paulus vnitatem fidelium, et quod in vnum corpus coaluerint, denotare asserit 1. Cor. X. 17. Nomen inde hoc sacramentum sortitum est *non vnitas* et communionis. Est enim illud medium corroborationis fidei, quo arctius cum Deo coniunguntur. Quo melius vero cum Deo sunt coniuncti, eo magis etiam inter se inuicem copulantur. Veteres Christiani eam ob causam coetum eorum, qui sacrae coenae intererant, non nisi ex pijs constare passi sunt. Omnibus igitur viribus eo contenderunt, vt impii ab vsu illius arcerentur tam ii, qui de veritatibus diuinis falsa docebant, quam alii, qui se criminibus atque vitis conspurcantes illa indignos reddiderant, quod vero nostris temporibus fieri non potest, cum hypocritae a pijs non ita bene discerni possint. Neque hoc huic communioni obstat, cum illo neutiquam tolla-



tollatur communio, ac impii, quamvis corpore et sanguine vero Christi eodem vescantur, tamen, cum non modo legitimo illud faciant, neque finem a Deo intentum vere consequantur, communionis huius cum regenitis participes fieri non possint. Nec officit, quod diuersis locis atque temporibus sacra coena vtantur, cum vno loco eodemque tempore ab omnibus adhiberi non possit. Haec enim coniunctio non arctior redditur influxu quodam naturali, sed per operationes spiritus sancti, quae vbiq; sese extendunt, nec vllis circumscribuntur temporis lociue limitibus, eadem fere ratione ac verbum diuinum atque sacramentum baptismi ad magis constringendum vinculum fraternitatis concurrunt. §. XXXII.

*Quinta, communis eorum fides.*

Si praeterea ea perpendimus, quae regeneratione in Christo fidelibus efficiuntur, deprehendimus, illa non nisi profus similia esse. Noua enim vita s. fides vera atque viua in omnibus vere regenitis producta est. Ecce igitur nouam, quae vnitatem atque fraternitatem auget, rationem, vnitatem nimirum fidei. Eandem ipse Paulus ad coniunctionem omnium in Christum credentium refert Eph. III, 5. Fidei vero eadem apud omnes est indoles atque natura, et conuenit omni fere respectu. Habet primum vnum eundemque auctorem, Deum puta. Nec enim alius ad hanc efformandam fidem viribus attributisque necessariis gaudet, quam ob causam in sacris litteris soli Deo tribuitur Ioh. VI, 29. Eph. I, 19. Singulae quoque personae diuinae in omnibus singulisque hominibus, qui operationibus earundem non obstinato consilio reluctantur, in hac fide producenda occupantur. Eodem deinde ordine in omnibus procreat Deus fidem, vera inquam conuersione et regeneratione, per eadem quoque media, verbum nimirum diuinum et baptismi sacramentum. Tum etiam



iisdem plane constat partibus, cognitione nempe, assensu atque fiducia, quippe quae constituunt fidem, ac semper coniunctae esse debent, cum fides sine iis ne cogitari quidem possit. Postea idem quoque est, circa quod fides versatur, et quo vnice tendit, obiectum, Christus nimirum et quaecunque ille promeruit. Cuius enim cum meritum in omnes sese diffundat, nemini vero prodesse possit, nisi fide apprehendatur, nullum aliud fidei potest esse obiectum, nisi Christus meritumque eius. Eadem denique in omnibus fide producentur opera bona, quippe quorum praecipuum est amor. Ita enim sunt fructus, qui, ubi fides est, abesse non possunt, et quasi colores, quibus fides illustrata sub oculos aliorum cadere potest. Ipsae sacrae litterae ad veram atque viam fidem illa requirunt Iac. II. 17. 18. 20. Gal. V. 6. Quae cum omnia tam accurate conspirent, ipsam quoque fidem vniam eandemque esse, sequitur. Obiiceret nobis forte quis, fidem diuersos admittere gradus, cum igitur in fidelibus differat, eandem esse non posse, adeoque vnitatem fidei denominationis fratrum rationem continere haud posse. Non vero negamus, differre posse gradus fidei, si modo ipsa fides eiusdem sit indolis. Ratione qualitatis fides est vna, quamuis ratione quantitatis sit diuersa. Hoc fraternitatem non tolli, exemplo illustratum ibimus a fratribus naturalibus repetito. Infantes nondum tot atque tanta beneficia a parentibus accipere possunt, quam filii eorundem aetate prouectiores. Interea tamen nemo negauerit, adultiores esse fratres infantum, cum illi fere eadem accipiant beneficia, quae hi, licet id fiat gradu maxime diuerso. Fides praeterea est ratio coniunctionis hominum cum Deo s. quod fieri possint filii Dei Ioh. I. 12. cum vero omnes regeniti eam ob causam sint fratres, quia omnes sunt filii Dei (§. XXVIII.) fides quoque rationem fraternitatis Christianae continere debet. Vnitas igitur fidei necessaria pars est fraternitatis. §. XXXIII.



## §. XXXIII.

*Sexta, communis omnium hereditas.*

In regeneratione omnes pios Deus sibi in filios ad-  
 sciuit, vnde ipsi inter se fratres (§. XXVIII.) cur non,  
 quod alii solent, ad eandem adspirare possent patris ipso-  
 rum hereditatem. Immo vero saepe saepius sacrae scriptu-  
 rae testimoniis ad illam spem certissimam eriguntur. Pau-  
 lus enim vtrumque coniungit Rom. VIII. 17. Gal. III.  
 7. noua proinde oritur denominationis fratrum ratio. Hac  
 vero hereditas duplex praecipue est, altera iam in hac vita  
 potiuntur, altera vero post illam expectanda. Quousque  
 in terra vitam agunt, duplicem Deo acceptam referunt he-  
 reditatem, quarum altera consistit spiritualibus bonis, quo-  
 rum participes fiunt omnes, cognitione Dei, tanquam sum-  
 mi boni, fruitione eiusdem, pace cum Deo ipsis propitio,  
 vnde coelestis quadam voluptate perfunduntur, quorum ta-  
 men primum ac princeps est spes futurae felicitatis semper-  
 nae, Rom. V. 2. Altera hereditas in hac vita obtinenda  
 consistit in legitima atque libera omnium rerum creaturarum  
 perfruitione, cuius imaginem diuinam amittentes iacturam  
 fecerant, quae vero per Christum denuo est restaurata. Cum  
 enim post conuersionem legitime uti possint omnibus rebus  
 creatis, quibus antea non poterant non abuti, ius ipsis red-  
 ditum est in res creatas, vnde Paulus omnia fidelium esse  
 asserit 1 Cor. III. 22. Vltima denique hereditas, quae post  
 mortem in vita aeterna ipsos manet, est, quod quouis ma-  
 io liberati omnibusque exempti calamitatibus maximis gau-  
 suri bonis, quae intuitiva Dei cognitione atque exinde re-  
 dundantibus perfectionibus absoluuntur, ut et omnimoda  
 eiusdem fruitione, qua voluptate perfunduntur summa at-  
 que dulcissima; accedet corporis olim restituenda integritas



atque insignis eiusdem claritas, vnde etiam qui ad beatorum sedes iam transferunt, viuentium Christianorum fratres iure possunt vocari. Omnium enim patria est coelum, cuius ciuitate omnes donati sunt, quamuis, qui in hoc terrarum orbe degunt, velut annis minores, nondum in suam peruenerint tutelam, Deoque rerum suarum administrationem commendatam habeant. Neque hic obstat diuersitas graduum, quippe de qua idem valet, quod (§. XXXII.) monuimus de diuersitate graduum fidei. Eiusdem enim, hoc non obstante, hereditatis participes facti sunt, atque in dies ad maiores gradus felicitatis progrediuntur. Obiiceret nobis forsitan porro aliquis, quod, si communis hereditas sit ratio fraternitatis Christianae, omnes ii, qui ad tempus tantummodo credunt, et deinde a fide Christo data deficiunt, fratres esse nequeant, cum nulla, nisi de nouo ad meliorem frugem se corripuerint, hereditas cum reliquis ipsis sit expectanda. Haec vero ad infirmenda ea, quae a nobis sunt prolata, nihil omnino facere possunt. Sunt enim utique fratres, dum credunt, tam ob antea adductas rationes, quam ob eam, quod spem eiusdem hereditatis cum reliquis habeant communem, quamuis illam, si a Deo deficiunt, accipere nequeant, et quod hereditatem istam, quae in hac vita iis cedit, iam vere possideant. Nec vllus fidelis reliquorum frater dici posset, si necessario perseverantia requireretur, cum de nemine certi esse possimus, sitne ad finem vsque in fide permansurus, nec ne.

## §. XXXIII.

*Oritur exinde aequalitas Christianorum.*

Sed haec sufficiant de rationibus denominationis atque indole huius fraternitatis Christianae, ex quo simul clarum est, dari reuera talem fraternitatem inter Christianos. Ex illa



illa vero simul enascitur, quadam habita ratione, aequalitas in spiritualibus omnium Christianorum. Cum enim ipsi omnia sint communia, omnesque eadem possideant bona, sibi inuicem respectu eorundem aequales esse dicuntur. De qua quidem aequalitate veteris ciuitatis Christianae doctores iam scite atque copiose locuti sunt. Vnus Lactantius nobis hic instar omnium erit, quippe qui: *Nonne aliquid, inquit, inter singulos interest? Nihil. Neque alia caussa est, cur nobis inuicem fratrum nomen impertiamus, nisi quia nos pares credimus. Nam cum omnia humana non corpore, sed spiritu metiamur, tametsi et corporum diuersa sit conditio, nobis tamen serui non sunt, sed eos habemus et dicimus spiritu fratres et religione conseruos s).* Discrimen igitur hic nullum intercedit pauperem inter atque diuitem, nulla quoque dignitatis honorisque diuersitas. Non enim regenti hic tanquam membra rem publicam et societatem quamdam externam constituentia, sed tantummodo tanquam membra ecclesiae inuisibilis considerantur. Atque hoc sensu nullum admittimus discrimen, quoniam omnes eiusdem naturae, eorundem beneficiorum participes, iisdem gaudentes priuilegiis, nullum caput aliud, nisi Christum, venerantur, ipsi vero inter se omnes sunt fratres. Ipse seruator noster sempiternum celebrandus hoc iam discipulis suis inculcauit, saepius de principatu disceptantibus Matth. XXIII, 8-12. atque Paulus nullum hic locum habere respectum dominorum atque seruorum, cum omnes sint pares, nos commonefacit Gal. III. 28. 1 Cor. XII. 13. Philemonem quoque hortatur, ne Onesimum amplius tanquam seruum, sed tanquam fratrem habeat, eiusdem cum ipso participem factum gratiae. Philem. comm. 16. Graduum vero diuersitate nemini imperii ius in alterum conceditur, nec quidquam huc facit quod quidam 1 Ioh. II. 12. 13. 14. infantum



fantum, alii iuuenum, alii patrum nomine insigniantur. Idem enim hoc esset, ac si quis eam ob rationem, quia reliquis doctior esset, dominium in eos affectare vellet, quod ipsi non competit. Neutiquam vero haec ita sunt explicanda, ac si omne discrimen magistratum & subditorum, dominorum & seruorum eliminandum tollendumque crederemus, quo quidem nonnulli a recta declinantes via & in auiam delapsi hanc paritatem extendere voluerunt. Iam enim antea monuimus, eandem non nisi spiritalia concernere. Ordinem potius in politicis, quo vnus pluresue dominantur, alii aliorum imperio subiecti obediunt, ipse Deus sapientissimo consilio constituit. Idem quoque Paulus, qui in paritate Christo fidelium commendanda totus est, omnium maxime ad obedientiam superioribus exhibendam hortatur, ac simul monet, ne quis dominos suos despectui habeat fraternitatem crimini praetextens, quippe quae nobis vel stimulos ad ipsis morem gerendum addit: Tim. VI. 1. 2.

1) in institutionibus lib. V. cap. XVI.

§. XXXV.

*Officia fere omnia amore absoluuntur fraterna.*

Accedimus nunc ad officia, quae alter alteri praestare ob hanc fraternitatem tenetur. Magna enim sane grauissimaque subit ratio necesse est, cur sacrae litterae in hominibus de fraterna hac coniunctione admonendis tam frequentes sint. Officia, credo, exinde profluentia ipsis hac ratione in memoriam reuocari, et, vt eo intentiori studio ac promptitudine obseruentur, prospici. Omnia vero optime ad vnicum illud saepissime in factis oraculis a Christianis requisitum officium, amorem, referri possunt. Consistit vero amor fraternus in promptitudine, ex omnium cum Christo coniunctorum hominum perfectionibus voluptatem capiendi, et studio,



studio, easdem augendi. Nihil est, quod in fratribus naturalibus magis requiritur quam amor. Differt vero ille adhuc ab amore vniuersali, quippe quo in omnes in vniuersum homines feruntur, non tam ex hac fraternitate, quam ex coniunctione omnium hominum et naturae ipsius legibus deriuando. Hunc vero amorem fraternum sacra scriptura *Φιλαδελφίαν* dicit, ac eo omnes prosequi in Christum credentes nos iubet, vt Rom. XII. 10. 1 Theff. III. 9. Ebr. XIII. 1. 1 Petr. I. 22. III. 8. 2. Petr. I. 7. Ioh. XIII. 34. In Ioannis quoque epistola prima amor iste fraternus vtramque fere efficit paginam. Paulus vero Rom. XII. 10. *Φιλοσοφίαν* & *Φιλαδελφίαν* adhuc distinctam proponit, atque priorem tanquam speciem sub posteriori contineri indigitare videtur. quo dubio procul maiorem gradum eiusdem indicare voluit. *Φιλοσοφία* enim est quasi instinctus atque ipsa vox naturae, qua ad amandos consanguinitate arctissime nobis coniunctos, qualis parentum et natorum est coniunctio, inuitamur. Cum etiam fides basis quasi sit & fundamentum, cui superstructa fraternitas (§. XXXII.) haec autem amorem semper comitem habeat, iam exinde necessitas amoris inter fratres elucet. Potest vero hic amor certos quoque admittere gradus, ac vnum altero magis diligere possumus, quo maiores in ipso deprehendimus perfectiones, quoque distinctus easdem cognoscimus, id quod praesertim fieri potest, si cum ipso conuersamur, ac in vno eodemque loco viuimus, quod vero parium studium neuiquam dici potest. Multa sane ex hoc officio profluunt alia officia, quae omnia hic iamiam curatius erunt perpendenda. Sunt vero vel generaliora vel specialiora, quae iterum vel corpus vel animam respiciunt.

## §. XXXVI.

*Officia generalia ex amore deriuanda.*

Cum amor sit promittitudo, ex hominum cum Christo  
H con-



coniunctorum perfectionibus voluptatem capiendi, studium, que illas augendi (§. XXXV.) primum exinde generalius profuens officium illud est, quod ita cum ipsis sit verandum, ut perfectiones ipsorum attento animo consideremus, Quilibet profecto fratrum singularibus suis gaudet perfectionibus regeneratione in ipso productis, ex quibus vero voluptatem concipere non possumus, nisi antea easdem rite spectas habuerimus. Quam ob causam eorum consuetudo magis nobis experenda est, quam aliorum hominum Deo inimicorum. In scrutandis autem perfectionibus caute ac circumspicte agas, ne vel quasdam imperfectiones pro perfectionibus accipias, vel vitiiis accenseas, quae virtutum nomine vere sunt digna; ad utrumque enim oppositum errorem tantundem fere viae est. Vera earundem indoles potius sollicitè erit peruestiganda; ad quam quidem rem incitatur et voluptate ipsa inde expectanda et ea, quod sint perfectiones a Deo ipso, fonte omnium perfectionum, deriuatae, ac quae ad diuinam pertineant imaginem, quippe quae regeneratione est redintegrata. Cognoscendae vero ita regeneratorum perfectiones, ut delectationem nobis afferant, id quod ex definitione amoris fraterni (§. XXXV.) patet. Quamobrem non inique inuidendum his perfectionibus, quippe quod ex animo maligno et atra repleto bile proueniret, fratribus de iis potius gratulandum, animo ipso consentiente. Ante omnia igitur Deus T. O. M. de his perfectionibus aliis concessis est celebrandus, quippe a quo semper omnia bona sunt deriuanda, illique vni accepta referenda Iac. I. 17. Deinde etiam eadem ad nos ipsos percontandos explorandosque sunt adhibendae, ut nos etiam sub examen vocemus, simusne iisdem praediti perfectionibus, nec ne, quas si in nobis deprehenderimus, quaerendum, peruenerimusne ad eundem gradum, quo isti. Si  
vero



vero aliter se res habuerit, imitandum est exemplum fratrum reliquorum, animusque ad sacram quamdam aemulationem accendendus, ut eodem perueniamus, quam ob causam omnia bene sunt notanda media, quibus eo peruenerunt, et eundem in finem applicanda, ut aequalitas et conuenientia omnium fratrum magis magisque in dies promoueatur. Quo maior vero est voluptas ex hisce perfectionibus concepta, eo magis omnibus viribus eo est contendendum, ut plura de iis detegamus, quae ad maiorem summi Numinis gloriam aliquid conferre possunt. Simul etiam ob amorem fratrum debitum nobis incumbit, ut perfectiones eorundem adaugere sollicitè curemus. Etenim cum amor alterum nihil omnino iuuet, nisi etiam ita sit comparatus, ut ipsius salutem serio uelimus, sequitur, hoc augmentum perfectionum alterius maxime necessarium esse. Hoc vero fieri potest vel imminuendo imperfectiones vel augendo ipsas perfectiones. Prius si efficiendum, demendae, quantum id fieri potest, erunt omnes occasiones committendi peccatum atque errores, deinde etiam instruendi monendique sunt quam diligentissime de maximo detrimento, quod ex eiusmodi imperfectionibus ipsis sit pertimescendum, et de modo conuenientissimo, illas abolendi. Incrementa vero certissime capient harum virtutum, dum et cognitionem eorundem locupletare ac emendare et voluntatem ad plura bona procliuiorem reddere omni cogitatione quaeramus, et, quandocumque fieri id possit, ea, quae deficiunt ipsis, suppeditare studeamus, id quod tam in rebus ad statum externum quam internam pertinentibus obseruandum.

## §. XXXVII.

*Officium specialius primum curae felicitatis fratrum externae.*

Seorsim igitur quaedam adhuc proponenda sunt officia

H 2

speci-



Specialia a Christianis ob fraternitatem experenda, quae vel externa vel animorum felicitate occupantur. Ad prius illorum genus referimus studium, statum fratrum externum emendandi, quoad fieri potest, maxime. Cuilibet facile patet, hoc iterum ante omnia caueri, ne quid detrimenti illum capere patiamur. Fratrum idcirco est, ne vllum damnum in statu externo reliquis importent fratribus fide cognatis. Absit igitur a nobis quam longissime, ne illis vel diras imprecemur, vel oculis ex tristi illorum casu fructum capiamus, neque illis prospera quaeuis verbis quidem apprecemur, animo tamen prorsus dissentiente, vel ex eorum incommodis nobis comparemus commoda 1 Cor. XIII. 5. Calamitate vero illorum affligamur, ac pari molestia afficiamur Hebr. X. 33. 34. Nec ipsorum fortunae secundae inuideamus, quippe quod non animum amicum, sed inimicum proderet, cum invidia quoque operibus, quae dicuntur, carnis annumerentur, quae hominem salute aeterna priuant, adeoque etiam a fraternitate Christiana excludunt Gal. V. 20. Secunda potius fortuna ipsis aridente, ex animo iis congaudeamus Rom. XII. 15. 1. Cor. XII. 26. Tum omni etiam circumspeditione vtendum, vt eo facilius deregamus, immineantne eiusmodi infortunia, quibus nostra solertia atque studio potest occurrere, quo facto summopere enitendum, vt omni ratione ac via auerruntentur atque ab iis propellantur, e. g. si in re domestica tale quid a seruis illorum committi videamus, quod vel famae vel fortunae ipsorum detrahere possit, et cui optime obuiam procederet, dummodo Domino ipsi hoc innotuerit. Hoc vero solum nondum sufficit, omni quoque studio atque opera eo est enitendum, vt statum eiusdem externum emendemus vel consilio vel ipso auxilio, vbi possumus, ac vbi sine neglectu officiorum aliorum magis necessarium fieri id potest. Quando igitur nulli nec prauidere nec impedire poterimus eiusmodi casus aduersos, fratrum est, vt pro virili parte eo elaborent, vt, quam maxime fieri possit, illi suppetias ferant, vt detrimenta reconcinentur v. g. si domus cuiusdam incendio delata fuerit, reliqui, quorum res saluae sunt atque incolumes, iis re ipsa consultum eant, atque eorum afflictis rebus succurrant. Quae cum omnibus in vniuersum hominibus incumbant, a fratribus in primis sunt expectanda. Hoc igitur officium, quod subsequente gene-



generalius est, etiam in pauperes, qui opibus aliis succurrere non possunt, cadit, quippe qui consilio tamen atque usu virium suarum aliis praesto esse possunt. In sacris litteris eam ob rationem a Christianis postulatur, ut non proprio, sed aliorum potius commodo studeant Rom. XV. 2. 1 Cor. X. 24. 33. VIII. 19. Phil. II. 4.

## §. XXXVIII.

*Secundum curae fratrum egenorum peculiaris.*

In primis vero opibus suis aliis inferuire tenentur, quantumcunque per facultates ipsorum licet, et indigentia alterius requirit. Liberalitati igitur, et beneficentiae erga fratres operam dent necesse est. Vitam enim alterius conservare aequae tenemur ac nostram 1 Ioh. III. 17. 18. Iac. II. 13. seqq. Eph. IIII. 23. Prou. III. 27. 28. XVIII. 17. Ies. LVIII. 7. Exemplum nobis hac in re praeiuerunt nostra imitatione dignissimum apostoli primique Christiani Act. XI. 29. XII. 25. XXI. 17. Rom. XV. 26. 1 Cor. XVI. 1. 2 Cor. VIII. 1. 2. VIII. 1. 2. XI. 9. Gal. II. 10. Qui vero alii ipsi in subsidium venire non possunt, hoc faciant necesse est intercessione apud alios et precibus ad Deum fundendis pro salute hominum egenorum etiam externa, id quod dicta allata satis superque probant. Haec vero fieri non debent coacte, sed sponte, ita ut vera misericordia capti atque dolore de fratrum nostrorum paupertate affecti id faciamus, neque spe mercedis cuiusdam adducti, vel ab istis hominibus, quibus datur, vel a Deo exigendae, sed potius ob Christi praeceptum (sunt enim Christi mandata quam fortissima incitamenta liberalitatis exercendae) et quoniam ille, cui beneficium praestamus, est filius eiusdem patris, Dei, quippe qui illa, quae horum minimo sunt, tanquam sibi facta se consideraturum affirmat, Matth. XXV. 40. 45. quare Christus eos fratres suos nuncupat, qui fide cum ipso sunt coniuncti, neque faciendum illud gloriae cuiusdam cupiditate & ambitione, vepote quod ex spuria quadam atque peruersa prouenit intentione, atque ipsis praeceptis Christi manifeste contrariatur, qui nemine etiam sciente beneficos nos esse iubet, atque ne ostentationis causa eiusmodi quid fecisse videamur, ut in occulto hoc fiat praecipit, ita ut dextra manus, quod dicit, nesciat, quid sinistra egerimus Matth. VI. 1. 4. 1 Cor. XIII. 3. 2 Cor. VIII. 7. 11. VIII. 2. 4. Rom. XII. 8. XV. 26. 27.



Omnibus quoque laboribus nostris non corradendis coaceruandisque opibus studendum, sed potius hoc intendendum, ut habeamus, quod pauperibus imperire possimus Eph. III. 28. Pertinet huc quoque officium, quod dicunt, hospitalitatis, utpote quod facillime in sacris litteris a veris Christianis exigitur Hebr. XIII. 2. 1 Petr. III. 9. Rom. XII. 13. Ante omnia vero haec beneficentia fratribus istis praestanda est, qui propter verum Dei cultum atque eo, quod nomen Christi vere constanterque professi sunt, omnibus exuti opibus honoribusque priuati vel in exilium eiciuntur vel in captiuitate vitam aegre traducunt, quippe qui auxilio aliorum prae aliis indigent.

## §. XXXVIII.

*Tertium curae salutis fratrum.*

Dantur praeterea officia, quae statum Christianorum internum respiciunt, obseruanda, de quibus iamdum quaedam dicenda veniunt. Cum igitur regenti per amorem fraternum teneantur, ad promouendam perfectionem fratrum, salutem praecipue eorundem spiritualem et aeternam curent necesse est. Fieri hoc potest primum institutione eorundem voluntatem Dei iis explicando, atque ex sacra scriptura rationem vltieris procedendi in via sanctificationis monstrando. Hoc enim cognitio eorundem locupletatur, ut eo melius omnia euitare possint, quae ipsos praepediunt, quo minus stadium, in quo Christianis decurrendum, feliciter emeriri ac scopum attingere possint. Deinde etiam experientia ipsis inseruiendum est, ut nostro exemplo sapere discant, si ipsi in eiusmodi casus incurrant, qui nobis aliquando obtigerunt, atque, si quid mali imprudenter a nobis commissum, probe sibi caueant, ne in eodem loco, ubi nos olim, impingant. Tum denique bonum exemplum ipsis praeferre debent, ut hoc edocti, quid et qua ratione agendum, sciant, atque ad nostram industriam, sollicitudinem, ardoremque imitandum polliciantur Matth. V. 16. Hebr. X. 24. Eph. III. 29. Rom. XIII. 19. Quamobrem ab omni offendiculo quam solerissime nobis cauendum, ne aliqua iis obiciatur impingendi causa, qua in eundem, in quem nos incurrimus, errorem forte ruant, vel secus de nobismet ipsis sentire discant, quo fieri potest, ut nostram disciplinam profus aspernentur. Duplex vero

cum



cum detur scandalorum genus, datorum alterum, alterum acceptorum, utrumque, si fieri id potest, longa animi praeuisione est fugiendum, ac ita semper cum fratribus versandum, ut Christi exemplum nobis ob oculos propositum habeamus optime discipulos suos aliosque docens. Matth. XVIII. 6. 7. Rom. XIII. 13. 15. 20. 21. I Cor. VIII 9. 11. 13. X. 32. Praesertim vero conditionis cuiuslibet ratio habenda, ac praecipue ea erudiendus, quae ipsi scitu maxime sunt necessaria, ac in quibus saepissime adhuc hallucinatur, ne in eiusmodi deferatur praecipitia, unde maximum ipsi interitus instat periculum. Quilibet itaque exinde facile coniectura assequi potest, attentionem ad proprias actiones atque studium, se ipsum magis emendandi, multum conferre ad hoc officium aliis eo facilius praestandum, utpote quod maxime necessarium est, si alios exemplo nostro docere velimus. Amore igitur fratribus debito ipsi quoque inuitamur ac obligamur, ad statum proprium emendandum, atque ad habitum recti bonique nobis acquirendum.

## §. XXXX.

*Quartum admonitionis fraternae.*

Complectitur vero haec cura salutis aliud specialius quoddam officium, admonitionem nimirum fraternam, quippe quae quam plurimum ad fratrem emendandum conferre potest. Requirit vero hoc officium, ut fratrum animos tam verbis quam exemplo salubri rerum ipsis adhuc inauditarum cognitione imbuant; deinde, ut, ubi se re ipsi esse videatur, in memoriam reuocent, ac iterum iterumque inculcent ea, quae quidem fratres iam cognita habeant, ne obliuioni forte tradantur, sed ut, data occasione, ea, quae uoluntati diuinae conformia cognouerunt, expediant; ac tandem ut, ubi forte extra oleas vagati sunt, atque a recto tramite aberrarunt, ipsis aperte indicent; quando autem praecident, quod facile fieri possit, ut impingant fratres, antequam id ipsum eueniat, eos commonefaciant, ut sibi caueant, atque, ut verbo dicam, omni occasione ea moneant, quae ad salutem aeternam obrinendam maioraque fidei incrementa addenda necessaria iudicauerint. Ad haec mirifice incitatur exemplo Christi et apostolorum, qui semper, ubi pericula suis imminencia videbant, admonitione amicissima contra illa praemunire eos satagebant. Ne vero quis cogitet, fuisse hos quidem



dem doctores ecclesiae, qui velut in speculo quodam constituti oculos semper circumferre deberent, quo facilius pericula gregi minitanti praeuideant atque auerruncent, neuriquam vero omnes fideles ad tale quid faciendum obstringi. Perfunguntur enim sacerdotio quodam spirituali regenti ad vnum omnes, quod a quolibet exigit, vt pro virili parte reliquorum curam gerat 1 Petr. II. 5. 9. Apoc. I. 6. Postulant etiam a nobis ipsae leges naturae, vt omne periculum, quod alteri instare praeuidemus, auertere quaeramus, quoad eius fieri potest. Inter fratres communibus procreatos parentibus maius ne cogitari quidem posset facinus, quam si frater alterum in maximo periculo versari videret, ipsumque seruari posse, nihilo tamen scius illum perire pateretur, illud Cainis sceleri suo praetextens: Num fratris custos ero? Gen. III. 9. Quale vero periculum maius vel concipi potest, quam si extimescendum, ne frater salutis aeternae iacturam faciat? Multo maior proinde est obligatio cuiuslibet regenti ad prospiciendum fratri, vbicumque potest. Prouocamur etiam saepissime in sacris litteris ad hanc admonitionem fraternam Matth. XVIII. 15. 1 Theff. V. 11. Hebr. X. 24. 25. Col. III. 16. Gal. VI. 1. Maxima vero circumspectiōe et sapientia hac in re opus est, ne haec admonitio ex alio fonte quam ex amore fraterno proueniat, quia, si forte ex indignatione quadam vel carpendi libidine fiat, facile plus perditur quam emendatur. Conuenientissima quoque occasio quaerenda est, quia vnum tempus saepius huic rei magis est opportunum quam aliud. Adhibita vero omni circumspectiōe, non est desistendum ab admonitione, etiamsi finem suum non attingat, et si quoque saepius admonendi in malam illud accipiunt partem. Si enim tandem finem nostrum in iis obtinebimus, ipsi fatebuntur, se iniuste nobis iratos fuisse. Cauendum est quoque, ne nimis seueri simus et molesti morum fratris censores, ac illi tanquam peccatum exprobremus, quod licitum est, ac vitae vere Christianae nihil officit. Nimis enim graues et duri conscientiae fratrum videremur Rom. XIII. 1. seqq. 1 Cor. X. 23. seqq. Col. II. 16. Proxime cum hac admonitione fraterna cohaeret promittitudo, aliis offensio gratiam faciendi. Facile enim, nisi remittamus fratribus nostris errores, indignatio in fratre nascitur atque discordia, quae vnitati fraternae quam maxime necessariae  
ini-



inimicissima. Et hoc praefertim eam ob causam a nobis fieri debet, quia Deus ignoscit omnibus peccatis nostris Matth. VI. 14. 15. Luc. VI. 37. Matth. XVIII. 21. 22. Col. III. 13. Eph. III. 2. Ante omnia autem haec obseruanda sunt erga fratres infirmiores et imbecilliores, qui institutione, admonitione et excitatione erigendi prae reliquis, quia nondum satis exercitati ea non pollent virtute, quae vsu acquiritur et experientia. Maxima praecipue erga illos necessaria est *συνκατάβασις*, ne offendantur, ac vt optima ratione, si errarunt, in rectam viam reducantur 1 Cor. IX. 22. Rom. XV. 1. XIII. 1. 1 Thess. V. 14. Quam ob rem etiam mansuetudini et longanimitati opera est nauanda quam maxima, qua in re Deus T. O. M. perfectissimo suo exemplo nobis optime facem praetulit. In omnibus vero his propria correctione quam maxime opus est, ne vita illa destruantur, quae verbis inculcantur et emendantur.

## §. XXXXI.

*Quantum precum communionis.*

Tertium, quod fratribus, respectu spiritualium habito, incumbit, est precum communitio, quae quidem obtinetur tam precibus coniunctim factis quam intercessione mutua apud Deum. Prius summae sane est vtilitatis, eandemque ob causam maxima illud obseruandi necessitas. Certe enim communes has preces Deum audire, Christus ipse credere iubet, quin et ipse iis interesse, qui eum in sinem conuenerint, promisit Matth. XVIII. 19. 20. Ecclesia apostolica hac in re exemplum nobis dedit omnium imitatione dignissimum Act. I. 13. II. 42. XII. 12. XVI. 16. 25. XX. 36. XXI. 5. Posterius vero ad plures societatis Christianae familias extendi potest, siquidem pauci tantummodo in eodem loco viuant, adeoque non nisi pauci ad comprecandum coire possint. Intercessio autem apud Deum pro omnibus in toto terrarum orbe viuentibus fratribus fieri omnino potest, quinimmo pro iis, qui in posterum cum Deo adhuc sunt coniungendi, adeoque fraternalitati Christianae annumerandi. Quod vero ad eandem omnes regniti sint obligati, patet et ex generali studio, promouendi perfectiones omnium fratrum vnicuique incumbente, quod implerisque non nisi intercessione fieri potest, et ex eo, quod sacra scriptura admo-



dam frequens fit in admonendis piis ad supplicandum tum pro omnibus in vniuersum hominibus 1. Tim. II. 1. tum inprimis pro fratribus Eph. VI. 18. 19. Rom. XV. 30. Col. IV. 2. 3. 1. Thess. V. 25. 2. Thess. III. 1. Ebr. XIII. 18. Iac. V. 14. Idem efficitur exemplis apostolorum Rom. I. 9. 10. Eph. I. 16. 17. III. 14. seqq. Phil. I. 9. Col. I. 3. 9. 1. Thess. I. 2. 2. Thess. I. 11. et perfectissimo exemplo Christi, qui non solum ipse pro nobis deprecatur Ioh. XVII. 9. 20. Rom. VIII. 34. Hebr. VII. 25. 1. Ioh. II. 1. verum etiam in oratione, quam nobis praescribit Matth. VI. 9. seqq. Luc. XI. 2. seqq. nos pro aliis precari docuit. Hac intercessione non solum omniagenam salutem a Deo ipsis expetere debent, verum etiam auxilium in necessitatibus quibusdam peculiaribus arduisue negotiis, sibi met ipsis vires etiam et facultatem opitulandi iis, qui illorum desiderant operam; vbi igitur non possunt ipsis in subsidium venire, intercessione hac nihilo secius opus est. Praesertim quoque in precibus quorundam singularis habenda est ratio, adeoque pro iis prae reliquis deprecari debemus, qui multis premuntur calamitatibus veram ore ac vita profitentes religionem, aut qui grauiora sustinent negotia, aut quibus cum morbis aliisque id generis miseriis aegre conflictandum.

## §. XXXXII.

*Sextum calamitatum societatis.*

Quartum officium erga fratres interna respiciens est calamitatum societas, qua obligati sumus ad dolendum de fratrum aliorum incommodis; quod quidem ex amore, quo prosequendi, prono alueo fluit. Si enim ex eorum perfectionibus voluptas capienda, omnia illa taedium nobis creent necesse est, quae iis contraria sunt, adeoque de illis nobis est dolendum. De imperfectionibus istis iam supra (§. XXXV.) egimus. Nobis hic praecipue sermo est de vexationibus et calamitatibus, quibus ob coniunctionem cum Christo premuntur. De his duplicem ob rationem dolore tanguntur, primum quod Christi doctrinam hostiliter impugnari videant, eumque ipsum quasi calumniis inimicorum laecessi; deinde etiam, quod exinde multa incommoda hominibus cum ipso iunctis oriuntur. Sensus enim eorumdem malorum, quibus reliqui diuexantur fratres, non potest non esse in fratribus, cum omnes sint membra vnius eiusdemque corporo.



corporis, in quo omnia membra ita sunt velut coagmentata atque coniuncta, vt, dum vnicum dolore afficiatur, reliqua simul aliquid ex eo perferant. Iniungitur nobis hoc officium saepius in sacris litteris, vt 1. Petr. III. 8. Luc. VI. 36. 1. Cor. XII. 26. Rom. XII. 15. Hebr. X. 33. 34. Apoc. I. 9. Ebr. XIII. 3. Eo quoque respicere videtur Petrus, si Christianos eo solatur, quod easdem afflictiones sentiant fratres ipsorum 1. Petr. V. 9. Ipse Christus de calamitatibus suorum misericordia commouetur, atque tanquam sibi facta illa considerat, quae ipsis illata sunt mala Matth. XXV. 42. 43. Hebr. II. 17. IV. 15. Hanc autem commiserationem efficere in nobis potest recordatio malorum, quae nobis olim obtigerunt, vnde experientia edocti scire possumus, quamnam vicem sustineant illi, qui eiusmodi agitantur casibus aduersis. Nec sufficit, nos misericordia capi, verum etiam re consiliisque oppressis succurrendum, quoad fieri potest, maxime. Auertendis igitur calamitatibus illis a fratribus studendum est, quod si fieri nequit, resarcienda damna, quae calamitates istae pepererunt. Eo vique enim in sacris litteris extenditur amor fraternus, vt, si necessarium esset, ac bono publico eo consuleretur, mortem ipsam pro fratribus oppetere non recusemus 1. Ioh. III. 16. Si vero nullo modo penitus malo liberari queant, diminutionis saltem aliquid asserre, et miseriae duritiem emollire solliciti sumus. Solatiis iidem erigendi, ac omnia, quae quodammodo dolorem, quem patientes percipiunt, lenire queunt, proferenda; vtilitatem proinde afflictionum ipsis ostendere debemus, ac omnia non nisi ex permissione parentis benignissimi fieri, qui nihil noxii ipsis insigi ferat, omniaque vt ipsi vincere possint, sit effecturus. Matth. X. 28-31. Luc. XII. 5. 7. 1. Cor. X. 13. Tum denique haud mediocre afflictionum lenimentum intercessio reliquorum apud Deum ipsi supplicantium, vt auertere velit haec mala, si sapientiae ipsius ita placuerit, ac illa summa felicitate compensare.

## §. XXXXIII.

*Septimum concordiae fraternae.*

Exaterno amore consequitur porro concordia fraterna, quae est vel spiritualium vel rerum humanarum, quarum prior vel doctrinam vel praxin Christianam respicit. Ad doctrinam quod



attinet, absoluitur concordia consensu in veritatibus, quae ad fundamentum salutis necessario pertinent. Non igitur tollitur fraternitas Christiana dissensione in veritatibus Theologiae minus fundamentalibus, multo minus in aliis disciplinarum generibus. Quicumque vero a sacra scriptura et explicatione eiusdem legitima in articulis ad ordinem salutis pertinentibus secedit, ille neququam frater regenitorum esse potest. Ipse enim regenitus esse nequit, cum vnicum, qui modo est, ordinem non ingrediatur, aliumque sibi efformet vero contradicentem. Anathemate deuotum eum voluit Paulus, qui aliud fundamentum aliumque ordinem salutis construere ausus fuerit Gal. I. 8. 9. Qua igitur ratione fratribus accensendus? Ad rationem viuendi quod attinet, Christianorum concordia absoluitur eo, quod vitam ex Christi sapientissime traditis praeceptis agant. Equidem non dixerim, illos a fraternitate Christiana penitus arcendos esse, qui ab aliis industria atque ardore virtutem sectandi vincuntur. Sunt enim etiam fratres quamuis infirmiores, et in illos tantummodo fratrum nomen non cadit, qui vitam agunt contrariam illi, qualem sacrae litterae requirunt. Omnes igitur hypocritae, qui nomen fratrum atque Christianorum verorum mentiuntur, fraternitate Christiana vere non gaudent. Requirit igitur haec coniunctio, vt regeniti se inuicem in studio atque ardore bonorum operum aemulentur, quo vnitas doctrinae, vitae ac ardoris obtineatur; id quod ex ipsa quoque natura regenitorum pronò alueo fluit. Imitantur enim omnes communem patrem, quo magis igitur ad eius similitudinem accedunt, eo magis quoque vita eorundem conformis redditur Rom. XII. 16. XV. 5. 6. Eph. III. 3. 4. Phil. I. 27. A&. I. 14. II. 1. III. 32. V. 12. In externis quoque concordia, vbicunq; fieri potest, seruanda. Omnibus igitur abstinendum alterius offensionibus et specie quoque eorundem, ne alter odium contra nos concipiat; amice potius agendum, nec semper nimis stricte ius nostrum ab aliis laesum vindicandum, et ex nostra parte omnia iura fratris implenda. Omnium quoque offensionum, quas ignorantes commisimus, veniam a fratre petere tenemur, et si non re vera facta, frater vero pro talibus acceperit, conuincendus est de eo, quod reapse nulla illa sit offensio, quam



quam eiusmodi esse putat 1 Cor. VI. 7. III. 4. 1 Theff. V. 15. 22. 2 Cor. VII. 8. Deinde in rebus indifferentibus atque licitis consensui opera est nauanda, ne separatione a reliquis non necessaria speciem pertinaciae praer nobis feramus, neque id fratri infirmiori in offendiculum cedat. Sententiis igitur eorundem in rebus scriptura sacra non penitus determinatis ac constitutis, (dummodo id, grauioribus officiis posthabitis, non fiat), conformes esse quaerere debemus Rom. XIII. 2. 3. 20. 21. ac si qui sunt ingenii multiplicis et tortuosi, iis cedendum potius, ne maior inde oriatur discordia Phil. II. 2. I. 27. 2 Cor. I. 10. Phil. III. 16. Omnes igitur lites contentionesque inutiles sunt vitandae, quippe quae facile nostrae non solum cum illis, quibuscum nobis lis intercedit, verum etiam cum aliis coniunctioni maximum inferre potest detrimentum. Lites praeterea subortae statim iterum componantur necesse est, ne ignem pectore foueamus, vnde magnum pertimescendum est incendium, ac omnem quoque sollicitate fugiamus rixarum contentionumque occasionem, quam ob rem a rebus quoque per se licitis abstinendum, si frater quidam infirmior ex illis causam discordiae desumere possit 1 Tim. III. 7. VI. 4. 2 Tim. II. 23. Pacem igitur conseruare, ac magis magisque illi studere debemus Iac. I. 19. 20. II. 14-18. Eph. III. 31. 32. Col. III. 8. 13. Vt vero concordia fraterna inter omnes conseruetur, lites quoque aliorum, si possumus, componere tenemur, dummodo alia officia grauiora non laedantur Matth. V. 9.

## §. XXXXIII.

*Octauum modestiae atque humilitatis.*

Ex aequalitate fratrum officium quoque modestiae atque auersationis a fastu & superbia erga reliquos deriuandum est. Cum enim illa omnes fratres sint pares (§. XXXIII.) nihil habet quisquam, cur insolescat, et super reliquos se efferat. Differentia quoque graduum hanc paritatem non tollit (§. cit.) quippe quae potius ex maiori vel minori humilitate diiudicanda est. Quo quis enim demissiori fuerit animo, eo maiora cepit fidei incrementa. Adigimur vero ad hoc officium praestandum per praecepta Christi et apostolorum Matth. XI. 29. Eph. III. 1. 2. Phil. II. 3. 1 Petr.



V. 5. Idem exinde euincitur, quod perfectiones alterius scrutari atque suspicere teneamur, (§. XXXVI.) quibus penitus perspectis atque ponderatis, imagineque diuina, quae in illo resplendet, considerata, tantum abest, ut ipsum despectui habeamus, ut potius magni eum faciamus. Semper igitur cogitandum, fratres omnes eadem a patre communi accepisse priuilegia, paresque inter se redditos esse, quia crebrior eiusdem consideratio nos de officio hoc modestiae et mediocritatis de se ipso iudicii commonefaciet. Matth. XXIII, 8 - 10. Deinde etiam semper virtutes alterius sunt perpendendae, nobisque ob oculos versentur, imperfectionesque eorum non nimium exaggerandae, sed potius excusandae. Si etiam in nobis quasdam deprehendimus virtutes, quibus alii destituuntur, in aliis tamen alias inueniemus, quae nobis desunt, et si imperfectiones, quas in ipsis obseruauerimus, in nobis non reperimus aliae certe erunt, quae nobis sunt propriae, et quibus ille, cui nos comparamus, caret. Non igitur habebimus, cur nos esseramus, alterumque alto supercilio despiciamus 1 Cor. III. 6. 7. Matth. XXIII. 11. 12. Aliorum potius perfectiones laudibus ornare, reliquisque commendare debemus, nobisque ut nimiae laudes, tribuantur, non pati, multo minus tales, quae forte aliorum famae aliquid detrahere possent. Rom. XII. 10. Nec nobis licet, dominium in reliquos fratres in spiritualibus affectare, ac si animis eorundem imperare sententiasque nostras vi et auctoritate obtrudere vellemus; quo vero neutiquam asserere audemus, nullum dominium externum fratrem in reliquos fidei socios habere posse, id quod sacris litteris et ipsi sanae rationi e diametro contrarium esset. Ipse Christus summo honoris cultu aeternum celebrandus nobis exemplum dedit huius humilitatis Matth. XI. 29. Ioh. VIII. 50. V. 41. quod si imitatur, certe voluntati diuinae hac in re satisfaciemus.

§. XXXXV.

*De officiis erga patres.*

Haec vero fratrum paritas atque exinde profuens humilitas non excludit, sed potius confirmat venerationem erga eos, qui maiores in fide progressus fecerunt. In sacris litteris illi patrum nomine veniunt 1 Ioh. II. 13. 14. 1 Cor. III. 15. 1 Thess. II. 11, tam ob



ob maiores, quas possident, perfectiones, quam quia satis magna fuit illorum opera in conuertendis reliquis infirmioribus. Hi igitur maiori quoque condecorandi sunt veneratione atque honoribus, vnde porro efficitur, eorundem admonitiones consiliaque libenter esse audiendas, iisque laeto animo obtemperandum, et exempla eorum prae aliis imitanda, quia plura in iis deprehendemus nostra imitatione digna ac omnis parentibus praestandus honor ac pietas illis conferendi. Huc vero praecipue referendus est amor et obedientia erga doctores ecclesiae, quippe qui maioribus donis plerumque a Deo donati sunt, quorum etiam est, instituere eos, qui ignorantia laborant et ulterius sunt erudiendi, exemplum bonum iis praecire, vitare omnia offendicula, maioribus acquirendis perfectionibus studere et consulere iis, qui illorum desiderauerint consilia, vel etiam iis, de quibus modo sciunt ipsos consilio indigere, ac de quibus verendum, ne illorum destituti consilio detrimenta capiant grauisissima. Omnia reliqua fratrum officia ipsis prae aliis sunt obseruanda, quoniam in se totius coetus sacri oculos defixos esse sciant,

## §. XXXXVI.

*Nexus quoque externi in amore limitumque eiusdem ratio est habenda.*

Cum praeterea quidam fratrum, quibus vel nobiscum propinquitatis necessitas intercedit, vel qui eodem loco et in eadem republica, vbi nos, degunt, iisdemque reguntur legibus, vel nobiscum alio quodam societatis vinculo sunt copulati, plus simplici vinculo nobis sint coniuncti, maiora etiam erunt, quae hi a nobis expectabunt, quam quae alii. Fieri enim nulla ratione potest, vt omnibus eodem modo inseruiamus, omnium salutem pari studio atque opera promouentes. Fide tamen aliisque vinculis reliquis coniuncti manemus, iisque, si occasio nobis offertur, eadem officia praestare tenemur. Multos vero, quinimo plerosque, per totam vitam nostram nunquam videmus, quorum nec fama quidem ad nostras peruenire potest aures, erga quos igitur eiusmodi amoris nostri documenta edere prohibemur, quae iis exhibemus, quibuscum nobis est consuetudo, quo vero vinculum coniunctionis fraternae cum iis, qui in distitis viuunt regionibus, nullo pacto dis-



disrumpitur. Eaedem enim adhuc restant rationes, fratres illos nominandi, quae supra vberius copiosiusque sunt pertractatae. Praestamus quoque ipsis officium amoris fraterni generalioris atque intercessionis apud Deum, quippe quae pro omnibus regentis, et qui ad nostram peruenerunt cognitionem, et quos penitus ignoramus, fieri debet. Leges igitur amoris nunquam migramus, eiusmodi discrimen admittentes, in qua quidem sententia antiquissimos patres iam fuisse nouimus, de quo supra (§. XIII.) exemplum ex scriptis Augustini allegauimus. Multa sunt, quae hucusque de fraterno amore disseruimus, qui quidem quam latissime patet, suis tamen circumscriptus est cancellis, ac nihil facilius, nisi iustos eiusdem limites transcendere, ita ut a fratre quodam plura postuleretur, quam iure ab iis exigenda. De iis multa iam sunt obseruata, plura tamen adhuc adicienda, quae rei haud parum lucis allatura credimus. Non igitur illa a quodam requiri possunt, quae grauioribus nobis incumbentibus officiis repugnant. Huc vero pertinet, si a fratre desideratur, ut illa perpetret, ne conscientiam fratris infirmi laedat, quae legibus diuinis contraria sunt. Multa enim a quibusdam pro recte factis et conuenientibus cum lege diuina haberi possunt, quae tamen curatius perspecta talia non sunt. Haec igitur, cum Deo ante omnia obedire teneamur, sine piaculo admitti non possunt, ergo ne a fratre quidem postulari. Sunt etiam, quae alius frater vel summum nefas iudicauerit, quae tamen eiusmodi non sunt. Neque haec suo quodam iure omittenda ab ipso desiderari possunt, nisi ipse ad concordiam pacemque seruandam de iure suo decedere veller. Nec exposci possunt a fratre, quae legibus humanis s. reipublicae contrariantur, dummodo haec leges praeceptis diuinis non contradicant. Legibus enim humanis et superiorum nostrorum obedire etiam legibus diuinis obligati sumus. Neque ob amorem fratrum bonum fratris cuiusdam privati bono publico est praeferendum, quod non solum de bono rei publicae cuiusdam, verum etiam de bono publico vniuersae fraternitatis Christianae est obseruandum. Cum praeterea bonum cuiuslibet fratris verum semper nobis curae cordique esse debeat, nec illa ipsi praestare tenemur, quae in damnum ipsi cessura praec-



ra praecuidemus, quamvis alter maximo sibi emolumento fore auteretur. Denique cum praec reliquis nostris propriis perfectionibus studendum, illa nemo a nobis efflagitet, quae nobismet ipsis sunt perniciosa, atque graue importare possunt detrimentum.

## §. XXXXVII.

*De collisione horum officiorum cum aliis officiis.*

Antequam vero ab officiis ad alia progrediamur, quaedam adhuc monenda veniunt de collisione officiorum erga fratres cum officiis erga alios homines. Omnibus hominibus certa debentur officia, quae etiam a veris Christianis strictissime obseruantur. Obligantur enim ad eorum accuratissimam obseruationem obedientia Deo haec iubenti debita, quam ipsi exhibere omnibus viribus contendunt. Dantur etiam quaedam officia erga alios homines, quae fraternalitas Christiana a quolibet fratre exigit, quale est cura salutis eorumdem aeternae, seu vt eo omni cogitatione incumbant, vt homines isti ad veram in Christum fidem perducantur. Sunt enim ad amplificandam ecclesiam inuisibilem fraternalitatis lege adstricti, quod fit, si plures homines a Christo alieni ad eiusdem coniunctionem perducuntur, qua etiam cum reliquis filiis Dei in eandem fratrum societatem coeunt. Haec igitur vt efficiantur, necesse est, vt ipsis maximam felicitatem, quae ex communiione cum Christo reliquisque in Christo spem fiduciamque reponentibus exspectanda est, visus quasi coloribus depingant, vt eos etiam alliciant exemplo suo, nec vllam praetermittant ipsis oblatam occasionem, eos admonendi, atque de eo, quod voluntati diuinae consentaneum, conuincendi. Dantur vero etiam alia officia, quae ipsis non ob fraternalitatem Christianam, sed ob coniunctionem naturalem debentur, quae quando collidunt cum officiis erga fratres, quid quaeso alteri praefereendum? Diuersimode ad hanc quaestionem est respondendum; non enim semper genus officiorum poiterius priori est anferendum. Si enim v, g. iudex litem decidere deberet fratrem inter et alium hominem cum Christo non coniunctum ortam, nullus ibi habendus est respectus fraternalitatis Christianae, sed si iustitia exigat, vt ea, de quibus disceptatur, homini impio adiudicentur, fratrem isti praeferre nequit. Offenderet enim contra iustitiam,

K

quae



quae est officium Deo debitum, cui omnia reliqua sunt postponenda (§. XXXXVI.). Proprie igitur etiam non collideret officium erga fratrem cum illo aliis hominibus praestando, sed cum officio Deo debito. In aliis vero casibus officia erga fratres officiis erga alios homines sunt praefenda. Si enim v. g. de statu externo emendando res est, et duobus opibus nostris inseruiendum, non vero nisi vni praestare illud possemus, homini cum Christo coniuncto potius est succurrendum quam illi, qui ab isto est alienus. Illi enim duplici sumus coniuncti ratione, cum huic non nisi simpliciter. Ad officia vero erga haereticos quod attinet, etiam ista sunt postponenda iis, quibus fratribus inseruitur. Sunt vero hi vel ignorantia lapsi, vel mordicus errorem tenentes ac defendentes pertinaciter. Priores fratribus annumerari possunt, si vera in Deum fide sunt praediti. Fraterne igitur sunt admonendi, et, omni adhibita lenitate, in rectam viam reducendi. Si vero timendum est, ne malum latius serpat, atque maximo cum detrimento in alios etiam fratres se transfundat, nec amori ipsis debito contrarium est, si reliqui admonentur, vt ipsorum consuetudinem velut morbo contagiosa laborantium fugiant. Vt enim in corporibus humanis membrum vnicum male affectum refecare praestat, ne lues totum hominem peruat, ita et eiusmodi fratrem a reliquis separare satius est. Errorem autem fundamentalem pertinaciter atque obstinato consilio propugnantes, etiamsi antea fratres existerint, non amplius illorum nomine digni sunt habendi, adeoque officia erga illos officiis fratribus exhibendis aequae sunt postponenda ac officia erga homines, qui apud Deum nunquam in gratiam redierunt. Si vero collidunt officia erga fratres inter se inuicem, magis necessaria minus necessariis semper sunt antefenda, quod penitentis omnibus in quolibet casu rationibus diiudicandum.

## §. XXXXVIII.

*Commodum ex fraternitate Christiana oriundum primum familiaritatis.*

Indicatis officiis in Christum credentibus ob fraternitatem Christianorum obseruandis, priuilegia atque praerogatiuas exinde orientes adhuc subiungere animo constitutum habemus. Primum, quod huc pertinere arbitramur, est iucundissima familiaritas eorumdem



dem et magna consuetudo. Nihil sane amicitia vera desiderabilis, nihil praestantius, nihil vilius, (id quod experientia docet) praesertim vero illa, quae nullam admittit disensionem, vbi non locus litibus aut rixis, in qua omnes sint pares, omnium denique maxima animorum similitudo. Eam, qualem iam descripsimus amicitiam fraternitatem esse Christianam, quis est, qui negauerit? Eandem enim ob causam tam iucundo insignitur nomine, quoniam fraterna vnanimitate aequati ab vno parente reguntur, omnesque ad commune bonum, proprium et cuiuslibet fratris praecipue promouendum conspirant. Vtuntur igitur amicis, quorum amicitia fundamento nititur quam solidissimo. Cum vero neminem illorum fugiat, qualem se erga eos gerere deceat, qui nos amore complectuntur, nulla re illorum amicitiae dissui aut disrumpi possunt; idcirco cum alter eam ob rationem amoris sui specimina edat, vt nobis illum testatum faciat, rite eadem cognoscere quam maxime est sollicitus, vnde ad omnia eiusdem documenta attendit, atque gaudet, si quaedam detegit, quae ipsi antea ignota fuerunt. Illo vero nondum contentus tanti etiam amorem hunc fraternum facit, quantum meretur, ac eo ad ipsum amore mutuo persequendum incitatur, neque quidquam temere omittit, quod ali quid ad eum conferuandum augendumque conferre posset. Quod cum quilibet de altero sibi vere persuasum exploratumque habeat, non mediocriter Christianorum praerogativa est, quod eam alant amicitiam, cui nulla aliorum hominum coniunctio equiparanda. Oritur quoque exinde fiducia erga fratres, cum enim amicitia haec sit constans atque stabilis, illa freti in omnibus casibus, vbi auxilio fratrum indigent, eundem amorem eorum sibi polliceri possunt. Haec fiducia diuersos admittit gradus pro amoris magnitudine, quo afficimur. Quo quis enim maiorem nobis praestitit amorem, eo maior erga ipsam fiducia habenda. Possunt vero ex hac fiducia in casibus, qui ipsis graues videntur, ac vbi omni consilio distituuntur, ab altero consilium sibi expetere. Possunt ipsi omnes internas quoque afflictiones, quibus premuntur, et quae alias tutius silentur, detegere, atque ab ipsis solatium expectare, id quod in rebus eorum afflictis non mediocre est doloris lenimentum, cum alter quasi mor-



roris partem in se suscipiat atque sustineat. Omni itaque ratione hanc fiduciam in altero collocatam ipsi manifestant, atque eo amorem alterius et fiduciam erga semet ipsos mirifice confirmant et augent.

§. XXXXVIII.

*Secundum fiduciae, ab aliis officiis fraternitatis certo satisfactum iri.*

Secundum, quod ex hac fraternitate Christiana oritur, privilegium est, quod omnes certo confidere possint, ea, quae a fratribus iure expectant, officia, sibi ab illis vere praestitum iri. Officia in antecedentibus Sphaera pluribus sunt explicata, quibus etiam se optime liberare possunt, cum nec animus ipsis desit, illa expediendi, nec viribus destituantur. Vires enim a Deo acceperunt sufficientes, et si non omnes eodem modo possunt alterum iuare, a reliquis tamen illud suppletur. Nec voluntate carent, alterum pro virili parte iuandi; nam amor fraternus, qui fide in ipsis est productus, eos promptos atque paratos reddit, ut omnem (quod a iunt) moueant lapidem, ut fratribus, quos vnicuique diligunt, consuetum eatur. Et qui possent hac in re Deo morem non gerere, qui talia officia fratribus praestanda discrete praecepit? Habent itaque, quo tute confugiant, si vlla re indigeant Christiani. Si ipsis defuerint opes, vnde vita propaganda, Deus omnia tam sapienter distribuit, ut alteri plus dederit, quo alterum ex fortunarum suarum affluentia etiam sustentare possit, atque fraterno amore ipsos hoc ad faciendum allicit, promptosque reddit. Non igitur est, cur anxie solliciti sint de victu amictuque parandis. Ius enim habent vsus legitimi omnium bonorum alterius, quae communitio est bonorum, quae omnibus temporibus obrinet. Si ipsis deest sapientia atque cognitio, habent, quo se conuertant; fratrum enim consilio vti possunt, quippe qui ipsos libenter instruunt, ac ea, quae ex revelatione diuina, aut quae propria experientia didicerunt, cum ipsis communicant. Cum quoque omnes alteri bonum exemplum praebere te neantur, ipsos adspicientes ediscunt, quomodo sancte, pie atque ex Christi praeceptis viuendum 1 Cor. XII. 4. 7. seqq. Ipsa quoque laetitia eorundem et gratus sensus diuinae beneuolentiae erga ipsos hac coniunctione adaugetur, cum non solum ipsi laetentur, si qui-



quidam fratrum ipsorum gaudio perfunditur, verum etiam ex magnis beneficiis, quibus Deus eos ornat, ad benevolentiam eiusdem erga omnes filios suos concludere possunt. De societate calamitatum et afflictionum, quippe quae aequae est magna praerogativa ex hac fraternitate oriunda, ac reliquae supra (§. XXXXII.) enucleatius dictum. Verum quo quis religiosior in partibus suis bene erga fratres explendis, eo maiorem quoque partem habet in reliquorum bonis et perfectionibus, ac eo maiori iure praestationem officiorum accuratam ab ipsis exigere potest; quia tunc arctior cum ipsis coniunctio illud requirit. Praeterea Deus saepius in hac communione cum aliis maiora largitur beneficia aliorum causa, quae, si cum ipsis coniuncti non essemus, nunquam accepissemus; eum enim in finem nobis sunt tradita, ut aliis iis inseruiamus tam ratione facultatum animi quam fortunarum, nobisque dispensatione bonorum nobis concreditorum diuinæ voluntati consentanea maiorem praeparemus gloriam in vita aeterna obtinendam.

§. L.

*Tertium involumentum ex communione precum expectandi.*

Tertium denique privilegium hac fraternitate nobis concessum eo absoluitur, quod multifaria bona ex precum communione expectanda. Nam omnes regeniti obligati ad intercessionem pro omnibus fratribus omni tempore ac loco, quo fieri id potest, precibus pro reliquis sanctioris societatis sodalibus vacant. (§. XXXXI.) Si igitur numerum precantium cogitamus immensum fere in omnibus mundi plagis disseminatorum, nullus certe dies, quinimmo nulla hora praeterit, qua non preces ardentissimae ad Deum pro fidelibus fundantur etiam a talibus, qui de nobis nunquam aliquid audierunt. Ipsos quoque beatos, tanquam fratres, pro fidelibus apud Deum intercedere, admodum est probabile, cum piis cum iisdem magna certe intercedat coniunctio. Supplicat autem Deo ii praefertim, qui cum fratre quodam arctiori vinculo coniuncti sunt, pro ipso, qui omnes quoque necessitates eius penitus norunt, Deoque melius proponere, atque auxilium ipsius illi experere possunt. Nonne certa exinde expectatio, Deum tot filiorum suorum sollicitatum vocibus eorum desiderio satisfacturum? Luc. XVIII. 7.

K 3

8. Ma-



8. Magnum vero est, si certe confidere queamus, nullas preces in cassum ad Deum fundi, ac ea, quae illum rogamus, sine dubio nos impetraturos, si nobis vere conducunt, et Dei sapientissime constitutis finibus respondent. Ii, qui vel mediocriter animum ad ea aduerterint, quae deprecatione finita consequuntur, multa sine dubio memoriae inscripta tenebunt exempla, ubi Deus ita sapienter cuncta gubernauit, ut euentus ex asse precibus illorum responderit, Iac. V. 14. seqq. Immo ii, qui Deum spiritu et veritate (quod ait Christus) adorant, saepius experiuntur, Deum singulari liberalitate plus iis largiri, pro quibus preces fundunt, ac ipsis expetere ausi essent v. g. quando fratribus magnis oppressis doloribus Deum reliqui efflagitarunt, ut aliqua duntaxat parte eorundem feueritatem emolliret, quo facto penitus praeter omnium expectationem sanitati sunt restituti, Eph. III. 20. Nihil vero nobis prodest alterius intercessio, nisi ipsi preces nostras cum reliquorum deprecationibus coniungamus; facilis enim conclusio, nos parum de re quadam impetranda sollicitos esse, nec voti compotes factos magni illud facturos, si precibus remissius operam demus. Excitat igitur nos ipsa haec communitio precum ad maius studium maioremque in precando ardorem. Quo quis diligentius, quo quis ardentius id egerit, quo quis saepius pro aliis intercedit, eo certius, eo celerius, eo promptius preces audiri scito. Omnia vero hucusque commemorata commoda ex fraternitate oriunda plerumque beneficiis Dei ignotis in hac vita annumeranda, quae raro etiam animo grato recoluntur, cum tamen maximis profecto sint accensenda. Hem, quantum est, quod nescimus! Hominum quidem id est, ut vel minima officia molestissime exprobrent, quae meminisse debet is, in quem collata sunt, non commemorare, qui contulit; Deus vero vel nescientes infinitis iisdemque grauissimis ornat beneficiis ingratum mortalium genus. Studendum ideo maiori solertia cognitioni beneficiorum diuinorum amplificandae, et Deo gratia referenda quotidie pro multis beneficiis non solum, quae cognoscimus, verum etiam quae fugiunt mentis nostrae aciem, quorum vel maxima pars est. Referri etiam posset ad commoda ex fraternitate Christiana profluentia, quod hac vnione et communitate ad angelorum sanctorum propius



propius accedamus similitudinem, quinimmo Dei ipsius, et quod omnes regeniti eo fratres quoque Christi fiant, vnde etiam et omnia eiusdem bona sibi communia esse credere et maximum amorem ab ipso polliceri, et denique ipso, tanquam fratre, familiariter vii, eiusdemque institutione gaudere possint.

## §. LI.

*Nostri quoque temporibus omnes regeniti sunt fratres.*

Explicatis indole, officiis et privilegiis ex fraternitate Christiana profluentibus, adusum et abusum huius nominis fratrum atque sororum, qui nostris praesertim temporibus obtinent, ostendendos progredimur. Eadem fraternitas Christiana nostris adhuc temporibus locum habet, quae constituta legibusque temperata in ciuitate Christiana, Christo auctore et apostolis eius, est stabilita. Omnia enim, quaecunque ad hanc requiruntur fraternitatem constituendam ne nostris quidem temporibus exulant; idem adhuc ordo salutis; cur non eodem hanc ingressi viam peruenirent, quo illi? Eadem adhuc obrinent rationes denominationis, eadem ipsi obseruanda officia, eadem quoque expectanda comoda. Quid exinde concludi potest, nisi quod, iisdem adhuc obtinentibus rationibus, idem quoque adhuc illis efficiatur, omnes nimirum Christianos reuera inter se adhucdum esse fratres? Accedit huc, quod de omnibus fidelibus intelligenda sint ea, quae in sacra scriptura de iis commemorant, ad quos illis sermo fuit, vel ad quod scripserunt viri diuinitus inspirati. Extra omnem igitur dubitationis aleam positum nobis videtur, omnes fideles, qui nostro quoque tempore vitam agunt, esse fratres, non solum inter se, sed etiam cum omnibus, qui vnquam vixerunt, eruntque, Christo fidelibus.

## §. LII.

*Nihil officit fraternitati Christianae, si a nominis usu abstinetur.*

Nonnulli de usu huius nominis in ecclesia nostra abrogato acerbissime conqueruntur, et facerent id quidem optimo iure, si nostris temporibus ille vsus aequae possibilis esset ac temporibus apostolorum et eorum, quorum vita in illa incidit tempora, quae haecproxime exceperunt; quod vero cum ita se non habeat, equidem  
non



non video, cur tam grauius hac de re doleamus. Id igitur agamus, vt rationibus argumentisque clarissimis efficiamus, ipsi Christianae fraternitati nihil omnino derogari, si vel fratrum nomine vulgari sermone abstineatur; tum vero commonstrandum nobis sumamus, ne nostris quidem temporibus commode satis in consuetudinem reuocari ac apte adhiberi posse. Nobis vero, (quod prius erat), vsus nominis fratrum fororumque ita necessarius non videtur, vt intermitteri nequeat, salua re ipsa. Nomen enim est tantummodo signum rei ab aliis distinguendae destinatum, non igitur est res ipsa, nec designatum a nomine, sed potius hoc ab illo pender. Nomen igitur inane est, sublata re, cui tribuendum, res vero nequaquam ad nihilum recidisse dicatur, si nomine caret, ac multo minus, si nomen eiusdem alias vsitatum non ita frequenter adhibetur, et aliud idem significans magis in vsu est. Fraternitas igitur Christiana etiam manere potest, et re vera quoque manet, nomine ipso fratrum atque sororum non amplius tam frequenter in omnium ore versante. Si de omnibus in vniuersum fidelibus aliquis loquitur nomine fratrum vtens, qui hoc reprehendat, credo, fore neminem, sed est potius laudandum, quia hoc nomen satis est aptum, quo officia illo indigitata in memoriam reuocentur. Nobis vero de tali tantummodo vsu huius nominis sermo est, quo quilibet regentis semper hoc nomine alterum, quem vera fide praeditum credit, alloquatur, quem non ita necessarium esse, arbitramur; cui non aduerfatur, quod finis illius nominis iam indicatus melius crebriori eiusdem repetitione apud quemlibet fratrem obtineri possit. Nam et aliis innumeris modis illum de officiis, quae illi incumbunt, commonere poteris. Damus id quidem, quodammodo hanc vtilitatem initio ad minimum apud quosdam obtineri posse, sed tunc probe prospiciendum, ne forte maiora incommoda inde nascantur, de quo deinde plura videbimus. Deinde etiam consuetudo ac crebrior vsus huius nominis ipsam hanc vtilitatem impediret. Solemus enim ad ea, quae saepius audimus, parum esse attenti, adeoque pedetentim, praesertim si a pueris audiuissemus illud nomen, vix amplius officiorum nostrorum, audito illo, nobis subiret recordatio. Nomen Christi.



Christiani multa omnino continet officia a quolibet obseruanda, aequae ac fidelis, regeniti, filii Dei; saepius haec nomina audimus, non vero, quid a nobis exigant, meditatur, quoties ad aures nostras perueniunt. In multis aliis nominibus, quae saepius nobis in ore versantur, eadem officia, eadem quoque motiua latent, quae fratris appellatione comprehenduntur. Quotiescunque qui, legerit vel audiuerit sacras litteras, in omnibus fere paginis admonebitur ad exsequenda officia fratribus debita. Ipsa quoque regeniti indoles ita est comparata, ut facile sine usu huius nominis, ut officii suis satisfaciatur, impellatur, cum habitum recte faciendi ipsa bene agendi consuetudine acquirat. Omnes enim actiones suas sub examene pii vocant, et ad lydiu[m] quasi lapidem exigunt, utrum conueniant cum voluntate diuina, an minus, quo facto, spiritus sanctus, qui in illis operatur, et eos regit, illos admonet, has vel illas actiones amori fraterno esse contrarias, et quae sint, quae requiratur. Saecula multa ideo iis relicta sunt, quibus excitantur ad fratres suos benefaciendum. Interea tamen superfluum aliquid in ecclesia primaeva hoc fuisse non existimo. Quo plura enim sunt, quibus ad amorem alii praestandum inuitamur, quo plures adhortationis modi, eo praestantius est, eoque facilius multitudine argumentorum nos mouentium naturalis segnitias vincitur. Semper vero illud videndum est in eligendo medio quodam, utrum illud rei publicae Christianae conducatur, an sit magis noxium. Difficultates istae, quae nostris sunt temporibus, in primaeva ecclesia non erant, id quod iam (§. XII.) partim indicatum est, partim ex subsequentiis clarius patebit. Nec vllum in sacris litteris deprehendimus praecipuum, quo omnibus Christianis sit iniunctum, ut hoc utantur nomine. Ex quibus omnibus recte colligimus, usum huius nominis ita in medio positum esse, ut sine damno coniunctionis Christianae vel intermitteri possit, vel, si fieri id potest, adhiberi.

## §. LIII.

*Introducitur non potest, quia omnium consensus obtineri nequit.*

Eo nunc deueniendum, ut ostendamus, usum nominis fratrum atque sororum nostris temporibus ecclesiae vix proficuum, sed potius noxium fore. Omnibus rebus rite ponderatis, facile perspiciemus, multa requiri, antequam nominis huius legitimus usus, qua-



lis ex sententia reuelationis diuinæ et ex explicatione nostra esse debet, introduci possit. Vfus eiusdem communis semel in ecclesia est abrogatus, adeoque, si denuo reuocaretur, hoc certe nouitatis esset, nec omnibus arrideret, quin vix vnquam res, quæ non nisi arbitrio hominum nititur, omnium comprobatur calculo, sed in diuersas abeunt partes. Si vero consensus omnium membrorum ecclesiae inuisibilis omni ratione tuendus, id quod quam maxime necessarium, quia nullus fidelis a fraternitate Christiana est temere excludendus, hoc nomen eo capite introduci nequit, quia ii fratres, qui aliter sentirent, alios ita non vocarent, quod discordiis certe ansam præberet. Nam quomodo omnes vniri deberent, equidem non video. Quot enim sunt Christiani in omnibus fere regionibus dispersi, quos nemo omnes nouit, nisi ipse Deus? Neque nos semper certum exploratumque habemus, quod quis sit frater, aut talis non sit. Nec omnesidem hac de re iudicarent; quidam maiores præuiderent difficultates, quas alii odorari nequeunt; quidam in statu quodam viuunt, in quo introductio talis nominis plane non obtrinet. Neque negare possumus, multos quoque dari homines aliis sacris nomen profitentes, quos neququam in nostras partes trahere possemus, quibus si perinde esset, quale gererent nomen aliud certe eligerent, quo a reliquis, quibuscum sacris iisdem vtantur, distinguerentur; illi tamen, si modo in articulis fundamentalibus scientes et malitiose non errent, ad fraternitatem Christianam non possunt non referri. Nonne maxima exinde oriretur Christianorum et ipsorum ecclesiae inuisibilis membrorum discordia? Per antecedentia tamen (§. XXXXIII.) concordiae fraternæ est studendum. Magis id circo detrimentum rei publicæ Christianæ importaretur restituendo antiquato huius nominis vsu, ac illi consuleretur. Nec alius nisi legitimus vsus, qui sacra scriptura figitur, introducendus. Non enim sufficit, omnes nomine Christianos fratres dicere, nec solum illos, qui easdem nobiscum profiteantur doctrinas. De hac enim fraternitate nobis non est sermo, ac fini quoque huius rei a Deo intento contrarium esset.

## §. LIII.

*Vfus nominis falsis iudiciis ansam præberet.*

Si verum huius nominis finem consideramus, omnes tantum cum Christo coniuncti homines eodem dignos esse scimus (§. XXVI.)  
Nemo



Nemo igitur nisi talis homo frater vocandus, omnesque, qui ita comparati sunt, ac Deus eos requirit, sine discrimine ita essent appellandi, unde nouae oriuntur difficultates. Nemo negauerit, multos inter nos dari specie tantum fratres referentes, nec eadem ratione, qua temporibus apostolorum, eos discernere possumus. Poterant enim apostoli spiritu sancto acti facili negotio illud diiudicare, subsequenter vero temporibus plerosque, qui se ad Christianam religionem conuertebant, non esse hypocritas, nec aliud quid quaerere, maxima probabilitate supponi poterat, cum multa eos certissime manerent supplicia, si ad Christi castra se contulissent. Nostris autem temporibus, rebus omnibus pacatis atque tranquillis, cum Christiani non tam facile in discrimen capitis adducantur, sed dedecori sit, Christi nomine non insigniri (cum olim longe aliter se res haberet) ne vero quidem simile, quod ii, qui religioni verae nomen dederunt, hypocritae magna ex parte non sint. Extraordinariae vero reuelationes a Deo nec expectandae amplius, nec necessariae, quibus interiora cuiuslibet hominis rimari ac perferuari possemus. Sine illis vero hoc nemini de omnibus exploratum esse posset, sintne vera fratres, nec ne. Huc quoque respicere videtur optimus noster seruator, cum Matth. XIII. 24. dicit, noluisse patremfamilias permittere, vt eradicentur locustia, ne simul triticum euellatur, cum itaque haec cognitio, (quippe quae omniscientiam supponit, et soli καρδιωγνωση compeccit) non de omnibus obtineri queat, multis vsu nominis fratrum atque sororum erroribus ansa praerberetur. Si enim talem, qui non est frater, ita vocaremus, vel tali, qui est frater, hoc nomen denegaremus, eo iudicium nostrum falsum de illis hominibus praecipitanter manifestaremus. Falsis ergo peccaremus iudiciis, quae euitari nulla ratione possent, ac iis, qualiter de illis hominibus sentiunt, scrupulum iniiceremus, qui penitius forsan animum eorumdem perspectum haberent, ac melius de iis iudicium fere possent. Si vero nomine fratrum atque sororum vti perinde est, peccata haec facile euitari possunt. Iudicium enim de iis cohibere poterimus, quorum animum non rite exploratum cognitumque habemus, et quilibet credere posset, quodcunque vero maxime consentaneum ipsi visum fuerit, donec euidentissimis argumentis plene conuincatur, hunc vel istum hominem fratrem vel esse vel minus. Quo quidem facto nemo certe illud vitio vertere ipsi poterit.



terit, quod scapham scapham appellet, atque pro impio habeat et declaret, qui talis re ipsa deprehenditur. Haec vero argumenta, quibus quis conuincitur, commodissime ex actionibus eiusmodi hominis petenda sunt, utpote quae, tanquam fidei fructus, arboris indolem produunt Matth. VII. 16-19. Quando vero plures iudicium ferre de vno eodemque homine coacti essent vsu nominis fratrum, quid magis verendum, quam quod sibi contrariantur? Tritum enim illud est vulgari sermone prouerbum: Quot homines, tot sententiae. Ex quo duplex mihi oriri posse incommodum videtur, primum illud familiaritati fraternae Christianorum obesser, quippe cum fiduciae in fratre reponendae (§. XXXXVIII.) illud noceret, tam respectu illius, de quo iudicium ferimus, quam aliorum, quorum sententiae nostrae contrariantur. Alterum incommodum est, quod illa diffidentia facile odium gignat, quod pectore compressum pedentium accrescere, et tandem in maximas lites et contentiones erumpere possit. Saepius quoque nobis ipsis praematuris iudiciis suspicionem afferre possemus pruritus cuiusdam, alios carpendi, quo aliis occasionem praeberemus, de nostra fraternitate sinistre iudicandi. Videmus igitur, vsu huius nominis fratrum atque sororum magis noxium esse quam proficuum.

## §. LV.

*Quidam forte hoc nomine inducti superiorum dignitati aliquid detraberent.*

Nec etiam difficulter coniectura consequimur, quam facile huius nominis vsurpatio, quae vniuersalis esse deberet, ita ut omnes pios, nullo discrimine habito, eo salutare teneremur (quod saltem noui huius nominis instauratores intendere videntur), contemtu superiorum ab inferioribus timendo ansam praebere possit. Omnes enim homines eo, quod eiusdem gratiae facti sunt participes, aequales sunt; quatenus vero in republica viuunt, discrimen inter illos non solum locum habere potest, verum etiam maxime est necessarium; qui quidem diuersus respectus non semper, praesertim ab obscura et humili multitudine ingenuique hebetioris hominibus recte obseruaretur. Paulus iam suis temporibus hoc monendum existimauit 1 Tim. VI. 1. 2. vnde probabiliter colligimus, existitisse iam tum temporis, qui hoc discrimen rite obseruare non potuere, quan-

to



to magis idem nostris temporibus esset pertimescendum. Neque nos vel minimum mouet auctoritas atque exemplum primaeuæ ecclesiae, quippe in qua hoc nomen semper sit adhibitum, quamuis tale quid exinde enatum non sit, nec apostoli et veteres coerus Christiani doctores prohibuerint vsum nominis illius, id quod omnino fecissent, si tum temporis tantæ exinde emerissent ordinum perturbationes ac confusiones. Dicitur enim iam allegatum satis luculenter probat, quod tales homines omnino tum fuerint, qui hoc nomine ita abuterentur. Deinde etiam primis istis temporibus reges et principes ad Christianam se nondum contulerant fidem, adeoque ne extimescendum quidem erat, ne quid eorum dignitati atque honori detraheretur. Quod vero serui etiam dominos suos nunquam contemerint, ob fraternitatem, qua iis aequarentur, vel minimum se iis pares omni modo duxerint, probari nulla ratione potest, cum vsum huius nominis vbiuis terrarum tunc receptus abrogari ob hunc abusum e vestigio commode non posset, in quo pedetentim procedere sat fuisset. Neque inficias ibit, qui recte sentit, tempore accrescente, cum imperatores ac proceres Christianam fidem amplexi essent, non amplius hoc nomen legitime esse adhibitum, cum multi non nisi ad captandam imperantium beneuolentiam Christo nomen profiterentur. Sic nostris quoque temporibus variaz procul dubio rerum publicarum et regnorum confusiones, restituito hoc nomine, emergere possent, quæ longa animi praeuisione fugiendæ. Ecce rationes sat graues, quibus, si recte intelligo, extra omnem aleam incertam ponitur, fieri omnino non posse, vt hoc nomen fratrum remissum temporibus in vsum reuocetur, ob damnum inde extimescendum maximum. Diuinae igitur sapientiae quam maxime fuit consentaneum, eiusmodi abrogari consuetudinem, permittere, quæ successu temporis discordiam spargere, contemptum superiorum aliaque parere peccata potuisset, quo igitur forsitan ecclesia vel magis corrupta esset.

## §. LVI.

*Abusus huius nominis primus.*

Pauca adhuc de abusibus nominis fratrum atque sororum monenda sunt, quæ partim iam ex antecedentibus patent. Primum mihi ad abusum fraternitatis Christianæ referri posse videtur, si fraternitas ecclesiae inuisibilis cum fraternitate societatis externæ confunditur. Ex



tota enim tractatione nostra patet, illam, quam nos describimus, interna tantummodo respicere. Per fraternitatem autem societatis externa intelligitur coniunctio plurium hominum sine respectu ad statum eorundem internum s. qua ad alium quemdam finem consequendum plures conspirant. Si igitur secta quaedam hoc nomen usurpat, non est fraternitas Christiana, de qua nobis sermo, quippe quae tantum ad ecclesiam inuisibilem pertinet. Visibilem itaque reddere vellent ecclesiam inuisibilem, quod fieri profus nequit (per antecedentia) vt de omnibus hominibus certo nobis constet, ipsos vere esse regenitos. Hoc modo inter omnes homines, qui in societate quadam externa s. in re publica coniuncti viuunt, talis esset fraternitas. Patet exinde, nomen fratrum successu temporis nihil aliud indicaturum esse, quod si iamiam introduceretur, quam homines ad eundem coetum sacrum pertinentes, latius igitur pateret hoc nomen, ac a nobis accipitur.

§. LVII.

*Abusus secundus.*

Deinde maximus quoque huius nominis esset abusus, si ab intermissa eiusdem usurpatione ad plenariam ecclesiae corruptionem concluderetur s. quod nulla nostris temporibus detur vera ecclesia. Nomen enim abrogatum non tollit rem ipsam alias illa designatam. Sine ratione igitur multi conqueruntur de amore fraterno penitus extincto, quia nomen fratrum inter Christianos non amplius exaudiatur. Esset quidem maximopere optandum, vt maior sit amor fraternus nostris temporibus, ac vt plures eundem exercerent. Sed hic certe non restitueretur, si vel nomen fratrum in omnium ore versaretur, ac tritum esset vulgari sermone vocabulum. Nisi enim vera fundamenta fraternitatis adsunt, id est, vera fides, amor fraternus nihilo secius exularet. Neque sine summa in ecclesiam iniuria afferi potest, illam adeo esse corruptam, vt pauci, quinimmo nemo fere in illa sit, qui amorem fratrum ita exercent, vt cum primis rei publicae Christianae membris sit comparandus. Sunt enim (de quo Deo gratiae habendae) nostris etiam temporibus, qui summa in Deum pietate atque candore elucant, ac omnes fratrum partes egregie implent. Vltimus iudicii dies manifestabit, in nostra certe ecclesia plures fuisse, qui fraternitatis legibus melius satisfecerunt, quam inter alios, qui fratrum nomen semper vltro citroque iactantes de eo, quod ab iis exigit, parum solliciti sunt. Prae-

stan-



stantius est, rem tueri sine nomine, quam quod nomen aliquis gerat, quamvis ab eo, cui vere competit, sit toto coelo diuersus Apoc. III. r. seqq.

## §. LVIII.

*Tertius nominis abusus.*

Postea ille fraternitate Christiana abuti mihi videtur, qui res ad constituendam fraternitatem non pertinentes pro partibus eiusdem essentialibus habet. Huc praecipue pertinet communio bonorum, quippe quae a quibusdam introduci debere desideratur, quia fraternitas Christiana sine ista consistere non possit. Quod vero neutiquam ita ad fraternitatem requiratur, ut illa demta, omnis corruat vera fraternitas, supra (§. XV.) iam evictum dedimus. Nunquam nobis talis communio in sacris oraculis praescripta est, nec nobis praescribi potuit, cum multa rei publicae asserat damna, neque per se possibilis sit (§. XV.). Cum quoque fraternitas respiciat interna hominis, non vero proprie externa, communio autem bonorum non nisi externum aliquid sit, fraternitati vel abesse poterit, nisi forte fundamentum huius communionis bonorum respiciatur, quod in amore fraterno consistit, qui utique prae primis necessarius. Tunc vero non nisi signum eiusdem esset arbitrarium, cum amor fraternus etiam alio modo se exferere possit. Nec nos mouet primaeuæ ecclesiae auctoritas, quippe in qua eam nunquam vniuersalem atque ex aliis tantum rationibus non nisi Hierosolymae introductam fuisse (§. XVI.) probatum est. Alterum, quod refero ad res non absolute necessarias, nimia est familiaritas. Familiaritatem esse praerogatiuam Christianorum insignem ex hac fraternitate orientem, nos quidem arbitramur (§. XXXXVIII.) verum suis illa etiam circumscribenda et terminanda limitibus, ac probe cauendum, ne extra oleas vagemur. Nimis enim magna familiaritas tantum abest, ut sanctiori Christianorum rei publicae proficua sit, ut potius saepius maximum illi inferat damnum. Si quis igitur ab altero desideraret, ut illi intima velut animi penetralia refereret, quae nemini adire licet, is certe familiaritatis limites plus iusto proferret, quare nemo postulet ab alio, ut illi secretorum, quae abstruse recondita fouet, scientiam faciat, nisi ipse sua sponte voluerit. Saepius enim quidam maiorem fiduciam in hoc, quam in alio fratre collocavit, pri-

ori



ori igitur detegere aliquid mauult quam posteriori: haecitaque libertas ipsi maneat. Ipse quoque, qui aliis aliquid detegere vult de statu suo interno cautus sit necesse est, multi enim sunt, qui facile scandalum accipiunt ex re aliqua, quam ob rem bene ii antea sunt explorandi, quibus aliquid aperire voluerit. Praesertim vero infirmioribus non omnia sunt detegenda, quippe quod saepius magnum importat damnum, sed potius amicis et fratribus istis, quorum mentem optime perspectam habemus, quia de iis certi esse possumus, quod illi non offendantur, quorum etiam consilio melius vti possumus, cum longiori experientia edocti, quid agendum, melius sciant. Neque nimis prodigis esto arcani, quod garrulitatis potius est quam familiaritatis. Deinde etiam praecipue magna circumspectione opus est in enarrandis aliorum vitiis, ne illos aliis inuisos reddamus, ac ne plus de iis dicatur, quam quod veritati est consentaneum, id quod facile fieri potest, quamuis id vel minime quaerat, qui alterius vitia recenset. Melius igitur est, minus quam plus de altero proferre, ne in illum nimis simus iniuriosi, nec nimis odiosis coloribus eius facta depingere videamur. Moneri adhuc quaedam possent de osculo pacis, quippe quod etiam quibusdam signum solemne familiaritatis fuit, quod vero melius in talibus casibus, vbi alii, atiamsi non frater fuerit, offensionem esse potest, et vbi in plerisque casibus sine peccato fieri non potest, euitari debet, cum aliae sint notae, quae tanquam signum et tesseram familiaritatis fratrum aptius adhibere possumus.

## §. LVIII.

*Quartus nominis fratrum abusus.*

Vltimus denique, qui nobis hic in medium est proferendus, huius nominis abusus in illo consistit, si vsus nominis fratrum atque sororum pro ipsa habetur conuersione. Posset sibi quidam persuadere, ac sunt etiam, qui sibi certo certius persuadent, se esse veros Christianos, atque ad Deum conuersos, si a reliquis fratres dicuntur, atque in illorum admittuntur familiaritatem. Quod quidem testimonium nobis esse potest, quid illi de nobis sentiant; sed cum in hac opinione errare sit facillimum, illud nondum sufficit, quod



quod nobis persuadeamus, nos esse reuera tales, pro quibus ab aliis habemur. Diligenter exploremus nosmet ipsos, quid ad fraternitatem requiratur, scientes, ac nos sub examen vocemus, conueniatne nobis hoc nomen, nec ne. Quod si hac ratione obseruamus, in nos non cadere hoc nomen, impellere illud nos debet, vt eo elaboremus, quo nomine hoc digni reddamur. Neutiquam vero in aliorum sententia est acquiescendum, hic enim esset maximus error et omnium grauissimus huius nominis abusus, cum nobis ipsis hac opinione viam, ad salutem perueniendi, praecluderemus. E contraria quoque parte non est desperandum, si a quibusdam pro fratribus non habemur, cum ipsi certo sciamus, nos filios esse Dei. Hoc enim aliorum de nobis iudicium nocere nobis nequit, cum istis saepius falsa de nobis sint relata, vel etiam nimis sint in iudicando rigorosi. Studendum potius est, vt re ipsa nos fratres ostendamus, pro quibus alii nos habere nolunt, neutiquam vero statim par pari referendum, vt etiam illos eam ob causam fratrum nomine indignos iudicemus, quia iudicium tale saepius non ex eo ortum trahat, quod nos non amore amplectantur, verum ex aliis de nobis praeconceptis opinionibus. In omnibus itaque vt regulas fraternitatis Christianae, quoad fieri potest, religiosissime obseruemus, diuina a nobis voluntas exigit, et praecepta eiusdem in sacris litteris nobis tradita,

## FINIS.

### Errata.

pag. 21. lin. 27. leg. Iudaea, pag. 26. l. 10. dehonoriaria, p. 40. l. 4. Amstelodami, p. 42. l. 2. praecipue, p. 64. l. 1. specula quadam, p. 79. l. 24. quos, p. 81. l. 6. quis, p. 85. l. 16. fatius, p. 86. l. 8. sed fieri.

M

AESTV-



AESTVMATISSIMO  
RESPONDENTI

SAL. PLVR. DIC.

PRAESES.

**P**auca TE nunc quidem volo breuiter expedienda, ne TVO lectorumque dispendio disputationis prolixioris molem adaugeam, operaque satis tardatas diutius morer. Utilitatem argumenti, quod ex edito a me indice doctrinarum opportune disputandarum delegisti, facile praestabo gnarisque rerum arbitris approbabo, quod nearum omnino partium esse videtur, si consilii, quo illud pertractandum proposui, rationes reddidero. Dudum inualuit apud rerum sacrarum turbatores nouitatum, specioso et venerabili antiquitatis instauratae nomine inuehdarum cupidos, vt inter alia bene multa, quae de ecclesia, qualis nunc est, inuidiosissime criminantur, fraternitatis christianae iacturam acerbè conquerantur, grauiusque dolere simulent, arbitrati, hac nominis cum re commutatione homines incautos et bene animatos sed intelligentia destitutos atque pristini status apostolici postliminio instaurandi studiosos omnium facillime circumueniri posse, pertrabique incogitantè in societatem consiliorum secedendi clandestina coniuratione ab ecclesia, condendique peculiarem ciuitatem ecclesiarum in ecclesijs collectarum, atque nouandi pro libidine conuellendique non disciplinam solum, sed ipsam doctrinam diuinitus constitutam. Quod innumeris nostro tempore accidit, qui a circumscriptoribus ambitiosis, fraternitatem mentitis sed dominatum meditantis, sensim eo deducti sunt, vt facta ingratis suis vera secessione ab ecclesia, quam ipsimet veram profitentur, in turbam et collauiem confusissimam se coniecerint, atque ex fratribus fratrum derelictorum osiores, obtrectatores et populatorum, sociorum vero vel praedones dominique vel vera mancipia euaserint. Grassanti huic malo obuiam eundem esse putauì accurata fraternitatis christianae explicatione, qua institutionis cupidi rectora edocerentur perspicerentque, rem obtinere sine publico et communi nominis strictè et proprie sumtusu, neque hunc sine praenauicatione multiplici et incautibili



bili rei sacrae discrimine locum habere posse. postquam populus CHRISTI in partes discessit, per quas spiritualis DEI ciuitas atque militans ecclesia occulta oculisque mortalium subducta latissime sparsa propagatur, neque hanc inuito DEO visibilem reddi transformarique in societatem externam coitione et consociatione membrorum ecclesiae absconditae, sine multiplicatione discessionum religiosarum, nouaque corporis CHRISTI dilaceratione. Potuissent haec, fateor, paullulum aliter tractari, quam in disputatione TVA factum est, cuius tamen dispositione perspecta, circulos TVOS turbare nolui ad efficiendum, quod proponebatur, apprime ductos. perfecta autem scriptio ipsa multo minus quidquam immutare aut adiciere aut rescicare, quod compertum habeo, et copia ac ubertate excusatus peccavi quam deficiente inopia, et longe praestabiliorem esse speciminum academicorum integritatem inaequali laborum commixtorum varietate, quamuis ad eruditionis pompam accommodatissima. Meam igitur verecundiam nullus laederem, si TVAE incurius vel maxime laudarem dissertationem, in qua nihil omnino comparet, quod mihi vindicari possit: nisi ipsa persuasio inuerecunda esset, laudatione mea vel indigere vel admodum ornari posse elaborationem, quae se ipsa satis laudabit, auctoremque lectoribus nec imperitis nec ab aequitate destitutis abunde commendabit. Multo minus ea hic commemorabo, quae de TE in vniuersum non laudabiliter magis quam vere scribi deberent, si testimonio publico ex disciplina mea dimittendus esses, quam nondum deseres ravo nostris temporibus exemplo, licet post biennium in academia Regiomontana non otiose transactum, sesquiammum noster factus in bonis litteris et sanctiori doctrina diligenter elaboraueris, cum aliorum auditionibus tum scholis meis publicis, priuatis et priuatissimis assiduam operam dederis, factisque progressibus et dexteritate plerosque anteuieris, qui sine praecipitatione studiorum ex academia discedere videntur. Quam ob rem multum TE amo pariter ac parentem venerandum, quem diu suspexi ob praeclara in rem sacram CHRISTIque ciuitatem merita, TIBI que vere gratulor. Quod igitur unum ad scribendum relinquitur, eo spectat, ut TE pro consuetudine nostra summoque in TE amore meo ad constantissimam in bonae mentis studio, enixissima virium contentione, proficiendique ardore et cursu virtutis



tutis ac diligentiae, quem adhuc tenuisti, continuando perseverantiam  
horte, DEOque immortali supplicem pro beneficiorum in TE cumulatorum  
perpetuitate aeque ac quotidianis incrementorum accessionibus, at-  
que indulgentissimum ipsius numen praesens TIBI et propitium ex animo  
comprecer ad amplissimam spem, quam fecisti, suscinendam et, si superari  
nequit, abunde implendam doctrinarumque uberrimos fructus tam capien-  
dos in rem TVAM quam utilitati publicae referendos feliciter. Ita vale,  
meque, ut TIBI volo et cupio, eo, quem DEVS fortunet, amore non  
dedignare. Dedi Halaë ad Salam in academia Fridericiana d. VII. Sept.  
MDCCL.

DISSERTATIONIS SCRIPTORI  
DOCTISSIMO, AESTVMATISSIMO

S. P. D.

DAVID BRVHN Memela-Prussus.

**I**n publicum TE prodeuntem, AMICE CERTISSIME, votiuae TVO-  
RVM comitantur acclamationes, litterisque expressae, publicae  
amicitiae testes comparent. Quibus dum haec meas adiungo, non  
tam consuetudinem, quam prolixissimum meum erga TE audio amo-  
rem. In hoc quidem explicando, praedicandisque, quae colo, me-  
ritis TVIS, multum esse, in praesentia rerum mearum non licet: Ve-  
rum nec TVI, qui animum meum nosti, nec aliorum causa opus est.  
Quibus enim totus TV innotuisti, non indigent teste virtutis TVAE et  
doctrinae, in qua suspicienda et colenda me aemulum habent. Reli-  
qui ex ipso hoc, quod TIBI gratulor, specimine intelligent, non  
vulgare a me pretium statui, eius amicitiae, qui tanta dexteritate et  
eruditionis copia se conspicuum exhibet. Pecero igitur et officio et  
meae in TE voluntati, quod satis est, si animum declarauero felicissi-  
mos in scientiis progressus vehementer TIBI gratulantem, et si bona  
verba, quae alii dicunt, intra pectus mea fecero. Quod reliquum  
est, serua et absenti mihi TVVM amorem, quem in deliciis semper  
babebo. Et si in posterum Academiae Albertinae communis olim Niu-  
sorum



farum nostrarum nutricis TE recordatio subit (Subibit vero, quia eam  
amas, quam saepissime) vide sis, ne immemor mei viuas, quem pro-  
pedientilla tenebit. Age feliciter et perpetuo VALE. Dab. Hal.  
in Acad. Fridericiana Pridie Non. Septembr. A. R. S. c1010ccL.

PRAENOBILISSIMO DISSERTATIONIS AVCTORI,  
AMICORVM EXOPTATISSIMO,

S. P. D.

CHRISTOPHORVS DANIEL CARSTED,

OPPONENS.

**S**i, quam priuatis adhuc studiis non interruptam colimus amicitiam,  
publico etiam perpetuoque monumento testari decet: commoda sane  
ac perquam iucunda se mihi offert occasio: quam, si tacitus praetermitterem,  
officiorum amicitiae immemor videri iure possem. Protrudis enim in lucem  
praeclarum dexteritatis et eruditionis TVAE specimen tamquam primitias  
fructuum, tam orbi erudito quam ecclesiae CHRISTI ab assidua TVA in-  
dustria et bene collocatis annis academicis expectandorum. Quare non  
possum, quin TIBI formosum hunc ingenii TVI foetum ex animo et impen-  
se gratuler. Sic enim mihi persuasi, TE et argumentum dissertationis gra-  
uissimum lectuque dignissimum delegisse, et illi rite pertractando non im-  
parem TE praestitisse, quamuis multorum humeri ob negotii difficultatem  
hoc onus ferre merito recusarent. Interim dum TVA haec studia factosque  
in eruditione progressus miror, TIBIque, quem moliris, actum disputa-  
torum bene et ex voto feliciter cedere cupio: non possum, quin de inita  
TEcum amicitia mihi ipsi magnopere gaudeam. Insigni certe perfundor vo-  
luptate, quoties in recordationem illius temporis redeo, quod nos in al-  
ma Albertina, quae Regiomonti Borussiae floret, amico consuetudinis  
vinculo iunxit. Deinceps a TE separatim fata voti compotem reddide-  
runt; siquidem TVO in illustrem hanc Fridericianam aduentui dulcissimam  
familiaritatis renouationem amicitiaeque confirmationem debeo. Neque  
mentem meam subibit obliuio singularis alicuius benevolentiae TVAE,  
M 3  
qua



qua mihi, dum hic dego, praesto esse, ac nuper disputanti publice opponere non reuulsi. Memini, et semper gratus reminiscar, TE partes ita egisse TVAS, ut et expectationi auditorum abunde satisfaceres, et coniunctioni nostrae litares, amorisque TVI adfectum luculentis manifestares indicis. Nunc par pari me referre iubes, idque, ne mea culpa TIBI videar in amore secundus, libens faciam: nec, si argumentis TIBI contrariis insurgam, hostili et abalienato resistam animo. TIBI victoriam in hoc certamine facile concedam, dummodo in apricum producat veritas, quam non solum meditationibus profundis tamquam ex tenebris erui, sed etiam disputationibus sicut aurum ignibus probari, non poenitendum scientiis confert emolumentum. Quod superest, ut patria, ut res litteraria, ut coetus a CHRISTO dilectus porro ex studiis et laboribus TVIS per supremi Numinis gratiam in dies maiorem percipiat utilitatem, splendidissimae autem familiae TVAE in seros annos gaudio sit et ornamento; id est, quod candidis TIBI votis apprecor. Me autem ut fauore pristino prosequi pergas, etiam atque etiam rogo. Vale. Dabam Halae propter Salam, Kal. Septembr. MDCCCL.

---

PRAESTANTISSIMO  
RESPONDENTI  
AMICO MEDVLLITVS DILECTO

S. D. P.  
IOHANNES ERNESTVS RIBBACH  
OPPONENS.

**A**d solenne verborum certamen amicissime a TE excitatus, TIBI iusta praesertim desideranti eo libentius satisfacio, quod mihi velut religioni duco, vllam perdere occasionem animum testificandi TIBI multis nominibus et hac inuitatione, tamquam recentissimo fauoris TVI documento, obstrictissimum. Nec etiam est, quod me a publico tecum congressu deterreat atque impediat, quo minus vires (quas non ignoro quales sint et quam exiguae) periclitari audeam; non enim ea disceptaturi sumus lege, ut mihi omnino vin-



1/2

no vincendum, aut superari sit ignominiosum, tunc enim prudens et cautus subterfugerem pugnam, in qua superiorem me discesurum penitus desperarem. Ad rem vero quod attinet, de qua comite ac erudite differuisti, me quidem iudice, nec dignior grauiorque altera potuisset excogitari, in qua TUA sese exerceret industria, nec aptior, quae a TE excuteretur, cum ipse fraternae coniunctioni amicitiaeque alendis natus, pleraque propria congesta experientia animoque recondita commodissime depromere et aliorum vsui posses exponere. Animum enim complurium annorum consuetudine penitissime perspectum habeo ac exploratum, cum mihi prae aliis fortuna diuinitus velut allata contigerit, vt in TVAM admitterer dulcissimam familiaritatem. Etenim eodem tempore curriculum (quod aiunt) academicum ingressi, pari studio virumque contentione stadium emetiri allaborantes, alter alterum vel tardius gradientem incitare, vel ocyus volantem consecrari annitebatur, vnde semper comites iusta aemulatione neuter neutrum post se relinqui passus est. Accedit quod eodem excepti hospitio ita suauissima amicitia quasi conglutinati cohaerimus, vt idem semper sentiremus, diceremus, ageremus nec vlla esset animorum dissensio, amicis non omnibus inaudita, et vt verbo dicam, intima fraternitate coniuncti, ita iucunde triennium transeginus, vt post eius decursum vix in medio versari arbitramur. Verum enim vero, in tanta rerum humanarum inconsistentia ac mobilitate fortunae nemini mortalium stabili quadam felicitate diu impune perfrui licet, vnde nec nobis meliora augurans, iam dudum mihi videbar velut e longinquo videre, quod infansum appropinquares tempus nostram disrupturum consuetudinem. Iam tum, quotiescunque ista cogitabam, aliquam partem praecipiebam doloris, qui me a TE discedentem (quod pertimesco) quoquo versus sequetur, molestissime comitabitur, grauissime excruciat; quid mirum, quod, dum haec scribo, pari affligar morore? ab amico antiquae fidei diuelli me patiar, nec acutissimo dolore tangerer? nostram dirimi vitae officiorumque societatem moleste non ferrem? Hoc qui improbet, aut prohibeat, humanitatis omnem sensum ex animo amisisse mihi videretur. Et grauius fortasse doloris sensu affli-



afficeret, nisi doctissime conscripta commentario aliquid saltem afferret  
lenimenti, qua fraternitatem christianam (qualis etiam nostra) perennem  
facis et vlla locorum longinquitate interrumpi negas, commoda  
quae exinde vel in absentes derivantur egregie commonstrans. Vnde  
nullus mihi est dubitandi locus, me quamuis a TVO disiunctum latere  
TE amico vsurum, ac etiam si preces iungere prohibeamur, TVIS tamen  
pro mea salute supplicationibus adiutum iri. Ipsemet non modo, quoad  
vna viuimus, sed etiam absens eo omni cogitatione incumbam, ne  
officiis, quae arctissima vtriusque coniunctione exiguntur, vlla ratio-  
ne desim. Itcirco non solum mirifice et ex animo laetor de TVIS laudi-  
bus, eruditione honoribusque, quibus TE iam ornandum video, verum  
etiam in posterum TIBI TVISq; bene cupio. Quam ob rem supplex  
Deum orabo ardentissimisque me impetraturum spero precibus, vt opti-  
mum patrem reliquosque TIBI necessitate iunctos per longissimum  
annorum tractum saluos incolumesque et vniuersam mihi carissimam  
domum omni felicitatis genere circumfluere iubeat. TV vero ma-  
gnae esse virtute pietate, artium magnarum scientia, studiorum curriculum  
feliciter meliorem partem confectum eodem emetire omine. Quaecun-  
que Deus impertitur hominibus bona, non parce aut sparsim, sed pleno  
in TE effundat cornu; ipse arctiori in dies foedere TE cum seruatore  
sempiternum celebrando consociet, vt in eius vulneribus iucunde et ab  
omni rempestate tutus delirescens, diuina permulcearis voluptate.  
Vale, me quod facis ama. Dabam Halae ips. Calend. Sept.  
clolcc.





94 A 73 62

ULB Halle 3  
001 840 606



56.











L

13

DISSERTATIO THEOLOGICA  
DE  
FRATERNITATE  
CHRISTIANA,

QVAM  
PRAESIDE  
VIRO SYMME VENERABILI, EXCELLENTISSIMO,  
DOCTISSIMO,  
SIGISM. IACOBO BAUMGARTEN,  
S. S. THEOL. DOCTORE, EIVSDEMQUE PROFESS. PVBL. ORD.  
SEMINARII THEOL. DIRECTORE, MENSARVM REGIARVM EPHORO, ET ACAD.  
SCIENT. REG. BEROLINENS. MEMBRO,  
PATRONO AC PRAECEPTORE SVO  
AD CINERES VSQVE OMNI PIETATE  
COLENDO,  
D. SEPTEMBR. A. O. R. MDCCL.  
PVBLICO PLACIDOQVE ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTET  
AVCTOR  
GOTTHILF TRAVGOTT ZACHARIAE,  
DARGVNO • MEGALOPOLITANVS,

HALAE MAGDEBVRGICAE,  
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, ACAD. TYPOGR.

27

